

vero transiens, propter quod dicit: «Voce mea ad Dominum clamavi.» Et rursus idem alio loco memorat: Quidquid aliud petitur, quam quod ad vitam æternam cedit, nihil petitur: non quia nulla res est, sed quia in tantæ rei comparatione, quidquid aliud concupiscitur, nihil est. S. AUG., in *Ps.* LXXVI. 3. «Quia tardius dando, sua dona magis commendat, et desiderari facit.» Agiturigitur divina providentia nobiscum, ait B. Laurentius Justinianus, ut differat utiliter, quæ liberaliter donare disponit; ut discamus magna magne desiderare, quia quo diutius abest, quod ardentius diligitur, eo robustius, et expectantis desideria cumulantur, tantoque dulcius sapit, et cautius conservatur, quod percipitur, quanto diutius in prece suspensus exiit petentis affectus. S. LAUR. JUST., c. IV, de *Orat.* 4. «Quia utilis quid dare decrevit,» uti S. Augustinus indicavit dicens: Sive consequamur quod petimus, sive non consequamur, perseveremus semper in oratione, et non solum gratias agamus, si consequamur, sed et si repulsam passi fuerimus, nam cum Deus nobis aliquid negat, non minus est, quam si concessisset; nescimus enim nos, quæ nobis conducunt, sicut ipse novit. S. AUG., ap. CXX, ad *Honorat.* Et confirmans id ipsum S. Chrysostomus: Aliquando dat, inquit, aliquando non dat, ac utrumque quidem utiliter, adeoque ut, sive accipias, sive non accipias, acceperis, tamen, dum non accepisti; et sive impetres, sive non impetres impetraveris tamen, dum non impetrasti; nonnumquam enim non accepisse, utilis est. S. CHRYS., t. VI, h. de *Or.* Hinc recte suadet Blossius: «Omnino dabit id, quod petis, si expedit ut accipias; si vero illud non conducit, dabit aliud, quod conducit. Novit quando, novit quatenus tuæ petitioni satisfacere debeat, dum ex infirmitate humana postulas, quæ utilia non sunt. Absit, ut donet, quæ petis, quando tale aliquid desideras, quod utrum illi placeat, ignoras. Hoc aut consimili modo orare discit: Domine, si tibi placet, si expedit, ut id fiat, fiat: si vero non tibi placet si non expedit, non fiat. BLOS., in *Parad. an.*, c. XVII. 5. «Quia vult, ut instantius petatur, et sic plus mereamur;» uti S. Antonius Paduanus indicavit dicens: Afo consilio Omnipotens Deus, cum Sancti ejus adversariorum persecutionibus comprimuntur, cumque assiduis, ut liberentur, interpellationibus clamant, differret solet

voce, seu vota petentium, ut merita patientium crescant, quatenus eo magis exaudiantur ad meritum, quo citius non exaudiantur ad votum. S. ANTON. PAD., s. in f. 3, post. 1, *Dom. Quad.* Cum quo consentiens S. Chrysostomus: «An non præstare potest, inquit prius quam petamus? potest utique, verum propter hoc differt, et expectat, ut occasione accipiat, qua juste nos sua cura dignos efficiat. Multi enim sunt omnis meriti expertes, et gratiarum, quas postulant, impetrandarum indigni, quorum preces Deus ideo exaudire differt, ut per virtutum exercitium, vivæ scilicet spei, veræ fidei, humilitatis profundæ, ardentis charitatis, et venerandæ confidentiæ acquirant sibi meritum ut exaudiri possint.» Cna. XXX, in *Gen.* Quam doctrinam pulchra similitudine confirmat S. Isidorus dicens: «Tardius exaudiantur quorundam orationes, ut dum differuntur, fortius excitatæ majoribus præmiis cumulentur, exemplo prunarum, et repressione messium, in quibus quanto tardius sata semina exeunt, tanto ad frugem cumulatiùs crescent.» S. ISID., l. III, *Sen. c.* VII. 6. «Quia vult nos secum diutius retinere,» uti S. Chrysostomus indicavit his verbis: «Si differt aliquando Dominus, non odio facit, nec te aversatur, sed differendo, diutius apud se conservare vult; sicut et patres filios indulgentius amantes, quo illos diutius apud se detineant, quos desides videt, dedita opera morantur aliquid daturi.» S. CHRYS., h. de *prof. Evang.* 7. «Quia vult patientiam et fiduciam probare, quam habemus in eo, et an amore puro propter se ipsum magis, quam propter dona, diligamus eum.» uti S. Thomas Villan. notavit: S. THOM. VILL., in *Dom. 2. Quad.* cui consentiens S. Basilus, ex hoc inquit, et fides nostra et charitas erga Deum declaratur, quando cumque quod petitur, non celeriter auferimus. S. BAS., c. n, *Const. Monast.*

«Nosse debet causas, ob quas communis multorum oratio citius exauditur,» quas quidem bene assignat Cornelius a Lapide sequentibus verbis: «Prima Prærogativa est,» quia Oratio in Ecclesia est proluxa quædam Dei invocatio, et adoratio ejusdem in presentia omnium facta, unde major ei laus et honor, quam a privatim orantibus. «Secunda Prærogativa est,» quod tametsi Deus in omni loco præsens sit, specialius tamen in Ecclesiis, utpote locis cultui suo

consecratis, adsit, juxta illud Psal. x. «Dominus in templo sancto tuo,» Ibi quoque in gratis suis dispensandis liberalior existit, majorique cum fructu homo divinam ejus coelare potest presentiam, quippe qui in SS. Sacramento vere et realiter adest; unde de Ecclesia Christianorum longe magis verificatur, quam de templo Jerosolymitano, quod III, Reg., IX, dicitur: «Exaudi orationem tuam, et deprecationem tuam, quam deprecatus es coram me. Sanctificavi domum hanc, quam ædificavi, ut ponerem nomen meum ibi in sempiternum, et erunt oculi mei, et cor meum ibi cunctis diebus. Tertia Prærogativa est,» quod propter societatem aliorum majorem recipiant fervorem, et efficaciam, propter bonum aliorum exemplum, et ob sanctam quamdam æmulationem, et maxime propter unionem orationum, quas Sacerdotes fundunt, ad eum fere modum, quo moneta aliqua defectuosa, cum multis bonis conjuncta facilius expenditur. «Quarta denique Prærogativa est,» quod Oratio facta in Ecclesia adjuvetur et corroboretur a Sanctis, quorum corpora et reliquæ ibidem in veneratione sunt. CORNEL. A LAP., in c. III, *Act. Ap.*

«Nosse debet, quomodo juxta Apostoli monitum, sine intermissione orare possimus:» id quod egregie explicat S. Antonius sic loquens: non sunt hæc intelligenda superficialiter, quantum ad ipsum actum orationis pro continuo tempore, quia illud esset impossibile, cum oportet dormire, comedere, et in aliis occupari. Sed secundum quod exponit S. Th. Primo quantum ad desiderium charitatis, quod est causa et motivum ad orationem, hoc debet esse in nobis continue in actu vel virtute; virtus autem hujusmodi desiderii manet in nobis in his, quæ facimus in charitate, et ad gloriam Dei, et ad gloriam Dei, et ad gloriam Dei, omnia enim debemus facere in gloriam Dei, et sic semper oramus. Secundo quantum ad effectum, vel in ipso orante; nam ex ipsa oratione facta, sæpe etsi non continue, remanet magis devotus, et pro tunc etiam dicitur orare, respectu illius orationis effectus vel in aliis, puta, cum suis beneficiis provocat aliquem ad orandum pro se, etiam cum ab oratione quiescit. S. ANTONIUS, p. IV, c. VII, § 6. Hoc ipsum etiam indicavit Deus, dum ad virginem Catharinam dixit: Sanctum desiderium, animæ scilicet bona voluntas, continua oratio est, quia virtutem habet orationis. Et quidquid homo in Dei, proxi-

mique charitate facit, potest vocari oratio, cum charitatis affectus pro oratione reputetur. BLOSSIUS, in *Conclavi*, c. III. Unde recte S. Petrus Damianus ad Ginthum illius temporis Urbis Romæ Governatorem, virum timoratæ conscientia, et orationis exercitio summopere deditum ita scribit: Cave ergo, ne propter peculiare orationis studium, cui insistere forte contendis, disciplinam tam innumerabilis populi, qui tibi commissus est, negligas, et propter proprium commodum, communem salutem plebis, quæ justitiam a te præstolatur, amittas; scriptum quippe est: «Qui conservat legem multiplicat orationem, et sacrificium salutare, attendere mandatis:» justitiam ergo facere quid est aliud, quam orare? S. PETR. DAM., I. VIII, ep. XI.

«Nosse debet, quid a Deo petendum sit.» Qua in re facem præfert Hugo Cardinalis, explicans illa verba Christi: «Si quid petieritis:» et sic loquens: «Si quid petieritis,» id est, aliquid, in quo ostenditur, quid sit petendum, scilicet vita æterna, quæ est quid, non temporalia, quæ nihil sunt. Hugo CARD. Clarior vero Sanctus Bonaventura id ipsum indicat dicens: «Digna, et congrua debes petere; quæcumque petierimus, secundum voluntatem ejus, audiet nos: salutem animæ tuæ, et quæ ad salutem fiunt, petere debes, talia enim secundum voluntatem Dei sunt.» Cujus rationem assignans Abbas Isaac: «Nihil caducum, inquit, vult a se, nihil vile, nihil temporale æternitatum Conditor implorari; itaque illius magnificentiæ maximam irrogabit injuriam, quisquis sempiternis petitionibus prætermisiss, transitoriorum aliquid et caducum ab eo maluerit postulare, et offensam potius, quam propitiationem Judicis sui, vilitate orationis incurrit. APUD CASSIAN., col. IX, 23. Hinc recte concludit Blossius dicens: «Nulla præstantior oratio est, quam, ut quis petat gratissimam Dei voluntatem in se et in omnibus aliis fieri.»

«Nosse debet, quo sensu Deus peccatores exaudire, et non exaudire dicatur:» id quod bene ostendit S. Bernardus de cæco illuminato disserens, et hanc distinctionem asserens: Orationem peccatoris ex bono desiderio naturæ precedentem exaudit Deus, non quasi ex justitia, quia hoc meretur peccator, sed ex pura misericordia: observatis tamen quatuor conditionibus, quæ communiter requiruntur ad orationem, scilicet, ut pro se

petat, necessaria ad salutem, pie, et perseveranter; et hæc quatuor noscuntur in uno versu Prophetæ, cum ait: « Apud me oratio Deo vitæ meæ, dicam Deo: susceptor meus es: » per hoc enim, quod dicit: *Deo*, involvitur, pie, per *vitæ*, ad salutem; per *meæ* pro se, per hoc, quod dicit, « dicam, » perseverantia denotatur, propter propositum de futuro. De hoc patet exemplum de Publicano, qui ait: « Deus, propitius esto mihi peccatori: » et ex hac oratione meruit justificationem: et sic debet intelligi verbum cæci nati, dum JOAN., IX, ait: « Peccatores Deus non audit; » nam peccatores, in quantum peccatores sunt, Deus non exaudit, sed solum in quantum sunt boni, et bono adherent et detestantur mala: nam peccatores de peccatis penitentes magis connumerandi sunt in numero penitentium. S. BER., in *Rogat.*, c. VII. Quam doctrinam etiam Sanctus Antoninus confirmat sequentibus verbis: « Convenit orare viatoribus omnibus, non solum justis, sed etiam peccatoribus; licet enim dicatur JACOBI V, c. XVI. « Multum valet deprecatio Justi assidua; » valet tamen, et exauditur oratio peccatoris, ut patet de oratione Publicani; et hoc non merito sui, sicut justii audiuntur, sed ex pura misericordia, si tamen debite oret; nec est contra illud; JOAN., IX. « Peccatores Deus non exaudit: » quia intelligitur secundum desiderium peccati, id est, committendo aliquid iniquum: vel potest dici secundum Augustinum, quod illud dixit Chelidonius nondum perfecte illuminatus sic enim putabat, sed sic non erat. S. ANTONINUS, P. IV, c. VII, q. 4.

« Nosse debet modum discendi orationis exercitium, » quem quidem S. Climacus sequentibus verbis indicavit: Habebis præceptorem Deum in oratione tua: facultatem dicendi non possumus per sermonem discere; naturam enim ipsam sequitur; ita nec orationis præstantiam, per doctrinam alterius assequimur; ipsam enim per seipsam doctorem habet Deum, qui docet hominem scientiam, et suggerit precanti orationem: « Non est, qui se abscondat a calore ejus, » unusquisque enim Magistrum intra se habet qui eum docet, quomodo orare debeat, adeoque nemo excusare se potest, et discere, non posse se orare. S. CLM., *grad.* XXVIII, n. 26. Quam doctrinam apte confirmat Alphonsus Rodriguez sequentibus verbis: « Sicut pater qui filium habet phreneticum, eidem com-

patitur, et ingentem in animo suo sentit dolorem, dum filium suum mox, ut loqui incipit, delirare in sermonibus suis audit; ita quoque pietissimus Pater Coelestis, ad pietatem, et compassionem erga nos movetur, quando videt, tantam esse naturæ nostræ debilitatem, et infirmitatem, ut, dum cum ipso sensate loqui volunt, subito in mille deliras incidant cogitationes, ac proinde tametsi quis nullam sentiat in oratione devotionem et succum, sed e contra ingentem ariditatem, cogitationum, et imaginationum conflictum, in eoque toto tempore orationis perseveret, propter hoc orationem non defert, utpote quæ Deo gratissima est, magnique in divino ejus conspectu valoris et meriti, imo certo credat, talem orationem sæpe Deo magis esse gratam, magisque meritorium, quam si illam magna cum devotione, et consolatione perfecisset, eo quod in illa ex amore Dei majorem sustinuerit difficultatem. »

DE MEDITATIONE IN SPECIE. — « Nosse debet 1. Quis sit scopus illius, nempe cultus Dei et sanctorum, » cum sit verus actus Religionis: « Illustratio intellectus » in rebus propriam cujusque vocationem ac statum concernentibus: « Excitatio voluntatis » ad ea, quæ intellectus facienda dictaverit, executioni mandanda: « Petitio gratiæ » cum congruis affectibus. 2. « Quomodo materia et forma optima eligi debeat. » Et materia quidem optima erit, si vocationi cujusque et status accomodata doctrina, non quæ elevet, sed pascat, discutienda assumatur, qualis quidem vel ex perfectionibus divinis vel ex vita Christi et Sanctorum, vel ex præceptis et regulis, vel ex natura virtutum et vitiorum desumi potest. Forma erit optima: si « dispositio » sit optima, id est, præludia aliaque industriæ ad meliorem successum meditationis ab Ascetis, et præcipue S. Ignatio in Additionibus præscripta, studiosè observentur: si « consideratio » sit optima: id est, si bene cujuslibet actionis, aut virtutis, aut vitii natura perpendatur: motivaque apta ad ea fugienda vel exercenda excogitentur, et media pauca, sed efficacia ad eundem finem indagentur, cum firmo proposito, deinceps illa serio adhibendi: « si colloquia » sint optima, id est, variis affectibus, maxime gratulationis, doloris, humilitatis, oblationis, desiderii, propositi, spei, invocationis, etc., eliciantur, maxime circa virtutem aut mysterium, quæ sunt materia meditationis:

si « Examen » quoque sit optimum, id est gratiæ de bono successu agantur, dolor de malo concipiatur, radices quoque mali successus indagentur, si proposita per diem recolantur, et renoventur. 3. « Quanta cum diligentia et accuratone ea instituenda sit, » utpote quæ, teste S. Theresia, omnium virtutum comparandarum principium est, et in qua omnium Christianorum vita sit constituta; *In Itin. perf.* c. XXVI; cujus vel unicus quadrans legitime insumptus, teste S. Ignatio, sufficit ad hominem brevi tempore ad apicem perfectionis perducendum. 4. « Quæ industriæ aut dispositiones sint ex nostra parte adhibendæ ad solidum ex hoc exercitio fructum referendum, » quales sunt: si insignis et excellens in Deum amor, atque ad res spirituales affectum atque propensio procuretur; si cum sincero fine, scilicet non consolationis hauriendæ, sed divinæ gloriæ, suæque ac aliæ perfectionis promovendæ gratia meditatio suscipiatur; si non puncta dumtaxat, sed ipse etiam fructus meditationis prævideatur; si quis se ante Deum velut cœcum, nudum, mendicum, famelicum, ab omnibus derelictum constituat; si affectibus potius voluntatis quam discursibus intellectus insistatur: si non in generalibus dumtaxat terminis consistendo, sed ad particularia descendendo, virtutis cujuspiam exercitium, aut vitii fuga proponatur; sic circa eandem materiam magis necessariam, per plures dies meditatio continetur. Quæ omnia fusiuse explicata apud Rodriguez videri possunt. P. I, tr. v, a c. XI, usque ad 21.

DE ORATIONE VOCALI IN SPECIE. — « Nosse debet, 1. Quis sit scopus illius, » videlicet « Laudare » Deum et Sanctos illius « Varias gratias » a Deo et Sanctis « petere; » Varios virtutum actus exercere, » aut certe earundem eliciendarum propositum concipere. 2. « Quis modus solidus et optimus sit, hanc orationem peragendi, » videlicet is, quem S. David suavit, dum dixit: Psallite Deo nostro, psallite: psallite Regi nostro, psallite: quoniam Rex omnis terræ Deus: psallite sapienter. Ps. XLVI, 7. Ubi quinques repetito verbo « psallite, » insinuare videtur voluisse, quoad « habitum et situm corporis » reverenter: quoad vocem distincte, et non præcipienter: quod « memoriam » attente, quoad « intellectum » intelligenter: quoad « voluntatem » ardentem et devote esse orandum, quod præstabitur, si affectus in ipsa oratione contenti, præcipue gratulationis,

doloris, timoris, fiduciæ, desiderii, amoris eliciantur, et interna quædam ac singularis reverentia SS. Jesu et Mariæ nominibus, et ad versum « Gloria Patri, etc. » exhibeatur. 3. « Quanti faciendi sit hæc oratio, quantaque adeo diligentia ac reverentia peragenda, » cum vere homines nos, quid oremus, sicut oportet, nesciamus; qui autem scrutatur corda, sciat, quid desideret Spiritus, qui secundum Deum postulat; atque adeo Breviarium et alii similes libelli sint quasi orationes a S. Spiritu compositi, et dictati; si ergo Præceptor summopere dolet, si oratio ab ipso magno labore composita, non ea, qua decet membrorum et vocis moderatione decentiaque recitetur; quanto magis displicebit Spiritui Sancto, si orationes, ab ipso dictatæ, oscitanter, et parum decore persolvantur.

#### CONCEPTUS PRÆDICABLES.

QUALITAS. — Ex occasione thematis: « Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo: » Ps. CXL, 2. Potest natura orationis per comparisonem cum Thymiamate explicari. Et 1. quidem quia sicut ad Thymiamam quinque res requirebantur, videlicet thus, galbanum, onyx, stacte, mastiche; ita ad orationem fructuosam requiruntur quinque virtutes, nempe Fides, Spes, Charitas, Humilitas, Perseverantia. 2. Sicut Thymiamam non nisi in templo et Sancto Sanctorum incendi debet; ita oratio non nisi in ipso pectore aut anima, quæ est verum templum Dei peragi. 3. Quia sicut Thymiamam Summo Sacerdote offerri debebat; ita orationes nostræ non nisi per Christum Dominum vel Summum Sacerdotem Deo sunt representandæ, uti ipsa Ecclesia suo exemplo docet. 4. Sicut Thymiamam per ignem animari debebat; ita orationes nostræ per ignem celestem Spiritus Sancti, et charitatem ab eo infusam, sunt accendendæ. 5. Sicut Thymiamam recte sursum ferebatur, neque ullo vento ad latus trahebatur; ita oratio recta ad Deum tum per intentionem purissimam, tum per attentionem sedulam dirigi debet, Excitantur proinde Auditores, ut S. Gerardi Pannoniensis Episcopi pietatem æmulentur, qui in aede D. Gregorii a se extracta aram B. Virginis posuit, cui thuribulum argen-

lum et duos senes assignavit, qui singulis horis Catholico ritu thus adoleverunt.

Ex occasione thematis : « Jace sagittam : sagitta salutis Domini : » IV REG., XIII, 17. Potest dici, Deum imitari matres quorundam populorum in novo orbe, qui ut filios suos assuefaciant ad sagittas jaciendas, nihil dant, nisi quod sagitta petierint, et obtinuerint : similiter enim et ipsum, ut oratione assuescamus, nihil dare velle, nisi per orationem id obtinuerimus. Quare mature descendam artem utendi hac sagitta, adeoque tria ostensum iri hac concione. 1. Quantos fructus sperare possimus ex hac sagitta; illos ipsos nimirum, quos fabulosus ille sagittarius, de quo P. Jacobus Bidermannus in Utopia scribit, unica sagitta in altum jacta est consecutus, dum scilicet ramum, cui tres columbæ insidebant, ita dividerat, ut illæ unguibus in illa fissura hæserint : postea ulterius progressa sagitta accipitrem columbis insidiantem transfodit : tum, quia adhuc impetus eam altius evehebat, etiam ciconiam casu prætervolentem interemerit : postea vero pondere suo depressa in aquas inciderit, et grandis lupi casu ibi natantis tergo inhæserit : cumque eam in alto hærentem sagittarius conspexisset, et extractam cum lupi post tergum projecerit, lupus sagitta infixus leporem tunc fortuito prætercurrentem pondere suo oppresserit, et maclarit. Hæc quinque, inquam, verius per sagittam orationis obtineri, nempe Spiritum Sanctum per columbam significatum, accipitrem diabolum animabus nostris insidiantem, ciconias, id est, malos socios, et inimicos, qui in æstate prosperitatis ad nos accedunt, in hyeme tribulationis abeunt : lupum in aquis, id est, auxilium in adversitatibus; et leporem, id est, benedictionem in temporalibus bonis. 2. Ostensum iri, quomodo sagitta hæc constituta esse debeat, nempe facta esse ex « arundine humilitatis, » ut sit levis, et nubes penetrans : « binas habere pennas » charitatis, et fiduciæ : et tandem « cuspidem ferream » perseverantiæ armata esse, ut efficacius feriat. 3. Ostensum iri, quomodo se gerere debeat ipse sagittarius in hac sagitta jacienda, nempe ut habeat « pharetram » sagittis refertam, id est, memoriam aut libellos precationibus variis impletos : « arcum » eumque intendat, id est, potentias suas applicet ad orationem debita cum attentione faciendam : ut « unum ocu-

lum, » nempe « externum » claudat, altero, scilicet « interno » ad metam collineet, id est, intentionem pro orationibus faciat : ut « genuflectat, » quo certius collinet, et obineat, quod petit, id quod per humiliationem externam præstabit. Quæ omnia facile fusius deduci, imo per tres conciones in tribus feriis Rogationum, aut tribus Dominicis antecedentibus, demonstrari possunt.

Ex occasione thematis : « Legationem mittens, rogat ea, quæ pacis sunt : » LUC., XV, 32. Dici potest, Christum I. c. per parabolam monere, quid faciendum sit Regi, qui venienti contra se fortiori resistere non valet, scilicet legationem mittendam, pacemque rogandam; atque adeo cum et nos propter nostra peccata Deum offensum habeamus, et graves penas ac calamitates mittentem aut inferentem, merito hoc ipsum consilium arripere, legationemque, id est orationem mittere; ut autem fructuose hoc faciamus, operam dandam, ut oratio observet Legati proprietates; et 1. quidem sicut Legatus debet esse « gratus » ei, ad quem mittitur (cum enim is, qui displicet ad intercedendum mittitur, irati animus ad deteriora provocatur) et habitu decenti comparere; ita et oratio per charitatem Deo gratia, et decenter vestita esse debeat. 2. Sicut Legatus debet habere litteras « Credentiae, » ut vocant, quibus doceat fidem sibi habendam, sequæ sperare a Rege audiendum; ita et oratio fiduciam similem habere debeat juxta illud Christi : Omnia quæcumque orantes petitis, credite, quia accipietis. MARC., XI, 24. 3. Sicut Legatus debet esse instructus pretiosis donariis Regi offerendis; ita oratio debeat cor contritum, et humiliatum, quo Deo nihil est gratius, offerre. 4. Sicut Legatus debet cum magna reverentia, et attentione suum negotium proponere Regi; ita et oratio cum simili diligentia causam suam explicare. 5. Sicut Legatus non statim debet desperare, et cedere, si statim non obtineat, quod petit, sed sæpius urgere; ita et oratio perseverans, et importuna esse debeat. Quæ omnia fusius explicata apud Fabrum, Conc. 1, in *Feris Rogationum* videri possunt.

Ex occasione ejusdem thematis dici potest, cavendum summopere, ne imitemur Romanos, qui pro pace faciendi inter patrem et filium, tres Legatos, quorum unus caput vulneratum, alter animum veordia

laborantem, tertius podagram habebat, atque adeo audire coacti sunt a Catone Censore : Populi Romani legatio nec caput, nec cor, nec pedes habet. PLUTARCH., in *Catone*. Itaque 1. curandum, ut legatio nostra habeat « caput, » id est, « attentionem, » quæ per varias distractiones quodam modo descenditur, et defodatur, ut facies per vulnera : ac « prudentiam, » ne stultum aliquid, et puerile petat. 2. Ut habeat « cor, » id est, « fiduciam charitatis junctam, » juxta illud S. Joannis : Carissimi, si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum, et, quidquid petierimus, accipiemus ab eo. JOAN., I, c. v, 21. 3. Ut habeat « pedes » id est, « fervorem, et perseverantiam » quos indicavit Christus illis verbis : Petite, et accipietis : quærite, et invenietis : pulsate, et aperietur vobis. LUC., XI, 9. Quæ omnia fusius apud Fabrum in Auctario explicata videri queunt them. 2. in *Feris Rogationum*.

Ex occasione thematis : « Ante orationem præpara animam tuam, et noli esse quasi homo, qui tentat Deum. » ECL., XVIII, 23. Potest oratio cytharæ comparari, juxta illud Davidis : Confitebor tibi in cithara Deus, Deus meus. PSAL. XLII, 4. Et 1. ostendit, quod sicut in cythara sunt variae fidelis; ita oratio contineat varias virtutes, fidem, spem, charitatem, humilitatem, religionem, perseverantiam. Aut si magis placet, explicari possunt hæc fides per potentias exteriores, et interiores. 2. Quod sicut fides hæc debent esse concordæ, atque intense; ita et orantis animus, et potentia, ut concordent, et totæ se applicent ad laudandum Deum, intendi, id est, ad id, quod faciendum est, excitari debeant. 3. Offendatur modus id faciendi, si scilicet juxta momentum S. Chrysostomi videat oraturus, quis roget? nempe homo : quem roget? nempe Deum : quid roget? nempe indulgentiam. De quibus vide Fabrum in Auctario th. 1, in *Feris Rogationum*.

Ex occasione thematis : « Ecce melior Chananaea a finibus illis agressa clamavit dicens ei : Miserere mei, Domine, Fili David : » MATT., XV, 22. Possunt conditiones bonæ orationis explicari. Nam 1. Sicut illa « agressa » est a finibus Tyri, et Sidonis, gente impia; ita et orans debet secedere a peccatorum statu, et a turbis impediendis orationem. 2. Sicut illa cum magna « fide, et fiducia » oravit, credens ipsum posse, et

sperans velle eum juvare; ita similem fidem, et fiduciam oraturus habere debet. 3. Sicut illa « devote, » id est ferventer, et attente clamando; oravit, nihil aliud nisi filiæ miseriam, et Christi benignitatem ac potentiam considerando; ita et oraturus pari cum devotione orare debet. 4. Sicut illa « humiliter, et modeste » rogavit, catellum se vocans; ita pariter ab orante talis humilitas, et modestia afferenda est. 5. Sicut illa oravit « perseveranter, » non desistens, etsi repulsam jam passa fuerit; ita et oraturus constanter in oratione perseverare debet, uti fusius Faber in Auct. them. 3 in *Feris Rogationum* ostendit.

Ex occasione thematis : « Publicanus a longe stans, nolebat nec oculos ad cœlum levare, sed percutiebatur pectus suum. » LUC., XVIII, 13. Possunt ritus, et cæremoniæ externæ in oratione adhibendæ explicari, nimirum 1. Quod « clara voce » recte invocatur « Deus, tum ad excitandam devotionem internam, tum ad obsequium corpore æque ac animo Deo præstandum, tum ob redundantiam ex animo in corpus se exonerantem. 2. Quod « caput denudetur; » tum ob virilis sexus præcellentiam, tum ob divinæ Majestatis reverentiam; tum ob orationis, quæ aperta esse debet, conditionem. 3. Quod « manus recte jungantur, et extolantur : » cum ut veniam suppliciter nos potere, operam a cœlo expectare, cor nostrum Deo offerre ostendamus; tum ut opera orationis nos jungere velle significemus. 4. Quod « genua recte flectantur, » tum in signum humilitatis; tum in signum miseriam humanæ, quam incurrimus; tum in signum obedientiæ, quam exhibere Deo sive ob peccata plecenti, sive varia præcepta injungenti parati sumus. 5. Quod « oculi » recte « demittantur, » tum indignitatem suam ostendendam; tum ad divinitatis excellentiam protestandam; tum ad varias gratias ac dona cœlitus per hanc humilitatem obtinenda. Videantur hæc fusius a Fabro conc. 4. in *Dom. 10. post. Pent. explicata*.

Ex occasione thematis : « Bona est oratio cum jejuniis, elemosyna : » TOS., II, 8. Affertur possunt causæ, cur hæc tria jurgenda sint. 1. Quia necessaria sunt ad demonem expugnandum; nam sicut militi ad se defendendum tria sunt necessaria, gladius, lorica, et scutum, ita militi Christiano oratio pro gladio : jejunium, quo anima operitur, pro thorace : elemosyna, quæ, teste

Siracide, super scutum potentis, et super lanceam adversus inimicum pugnavit, pro clypeo posuit. *Ecl.*, x, 18. 2. Quia necessaria sunt ad satisfactionem peccatorum; nam per orationem satisfacimus Deo, puniendo nos in bonis animi, quibus ipsum ostendimus, et obviamus superbæ vitæ: per jejuniū satisfacimus nobis, puniendo nos in bonis corporis, et concupiscentiæ carnis obviamus, per elemosinam satisfacimus proximo, puniendo nos in fortunæ bonis, et concupiscentiæ oculorum obviamus. 3. Quia juvant ad faciliorem impetrationem; tum quia ut mendici preces, cætones, et vulnera repræsentant; tum quia aurum, thus, et myrrham offerunt; tum quia impedienda, scilicet, gravationem mentis per cibos factam, et distractionem curarum per divitiis causatam, tollunt jejuniū, et elemosyna, sicut oratio facilius, et attentius peragitur. 4. Quia juvant summopere ad vitam æternam promerendam, oratio quidem per modum misericordiæ, elemosyna per modum amicitiæ, jejuniū per modum mercedis, prout fusiū explicat Faber conc. 3. in *Feris Rogationum*.

Ex occasione thematis: « Apertis thesauris suis obtulerunt ei munera, aurum, thus et myrrham; » *MATTH.*, II, 11. Ostendi potest, quomodo Magi in templorum frequentatione sint imitandi, et 1. Quidem « ante ingressum, » videntes stellam gavisi sunt gaudio magno valde, quos imitari oportet, alacriter ad templum properando, quod non difficulter præstabitur, si stella fidei oriatur, et demonstret, qualem Deum adorare, et colere velimus, et quid ab eo sperare possimus. 2. « In ingressu » duo præstiterunt, adorantur, et munera obtulerunt: idem ergo in templis quoque nostris præstandum, dicendumque cum Davide: In conspectu Angelorum psallam tibi, adorabo ad templum sanctum tuum. *Ps.* cxxxvii. Sed et aurum charitatis, thus orationis, et myrrha mortificationis in superandis impedimentis, et molestiis offerenda. 3. « Post egressum » per aliam viam reversi sunt in regionem suam, quod tanto diligentius in templo faciendum, quanto magis genuinus, et proprius hic templorum frequentatorum fructus est, utpote quæ per festum ipsum, per altare, et ibi absconditum sanguinem Christi, et per confessionale ac cathedram, huius emendationis nos admonet.

Ex occasione thematis: « Orantes autem nolite multum loqui: » *MATTH.*, vi, 7. proponi possunt, et corrigi varii errores circa orationem committi soliti. Quorum circumspectus est eorum, qui nimis parum orant, eo quod non æstiment, quibus proinde necessitas, utilitas, et dignitas breviter ostendenda. Secundus eorum, qui nimis multum orant cum negotiorum domesticorum detrimento, quibus ostendendum, orationis efficaciam non in multitudine, sed bonitate precum consistere, posseque etiam per bona opera ex obedientia suscepta, Deum laudari. Tertius eorum, qui nimium anguntur ob distractiones; qui docendi, non nocere distractionem, si voluntaria non sit; iubeantur proinde bonam intentionem præmittere, et agere, quod possunt, abigendo cum Abrahamo volucres a Sacrificio, sicut quieti sint. Quartus eorum est, qui animum abijciunt, si non statim exaudiantur, quibus proinde causæ, cur Deus non exaudiat statim, sed differat, exponendæ, uti fusiū prioribus § n. 6, sub fin et n. 40 ostense sunt.

Ex occasione ejusdem thematis potest oratio « clavi aureæ, » *Im.* qualis solet a Principibus dari Camerariis, comparari. 1. Quia sicut illa est aurea, ita oratio debet esse formata charitate, seu ex auro charitatis composita. 2. Sicut illa debet esse *cava*; ut in feram intrare possit; ita oratio debet esse humilis per exinanitionem, et vilipensionem, qua orans se ipsum nihil esse, et posse judicat. 3. Sicut clavis habet « barbam » crucibus plerumque instructam; ita oratio quoque debet habere fiduciam non in ullo orantis merito, sed sola Christi passione, et intercessionem confidentem. 4. Sicut clavis habet « manubrium »; ita et oratio cooperari debet Deo dona sua offerenti, tum per attentionem sedulam, tum per bonam operationem. 5. Sicut clavis debet esse « robusta » ut facilius repagulum januæ remove possit; ita et orationem constantem, et perseverantem esse oportet, ut facilius impetret, quod petit. Explicetur subinde utilitas, et dignitas huius clavis; quem in finem conc. 4. Fabri in *Dom.*, 5 post *Pascha*, num. 1 et 4, servire potest.

Ex occasione thematis: « Preparate scutum, et clypeum » vel « apprehende arma, et scutum » *JER.*, xlvi, 3. potest oratio sento comparari, idque probari. 1. Auctoritate Salomonis dicentis: Proferens servitutis suæ scutum, orationem. *PsAL.*, xxxiv, 2.

2. Auctoritate SS. Patrum, præcipue S. Ambrosii dicentis: Bonum scutum oratio, quo omnia adversarii ignita spicula repelluntur. S. AMBR. in *Or. funer. de obitu Val.* Et S. Hieronymi: Semper in manibus tuis sit divina lectio, et tam crebræ orationes, ut omnes cogitationum sagittæ, quibus adolescentia percuti solet, huiusmodi clypeo repellantur. D. HIER., epist. ad *Salvian.* 3. Experientia, et inductione, sic enim Josue urbem Hai, dum clypeum in altum levavit, expugnavit. *Jos.* viii, 19. Sic David, teste S. Chrysostomo, multos ac sævos inimicos effugit precationis ope, non aliis armis exercitum muniens, sic alii carnem, alii diabolum vicierunt orationis præsidio, ut pluribus exemplis ostendit Faber in *Auctar.*, them. iv, in *Dom.* 5 post *Pascha* num. 3.

Ex occasione thematis: « Confitebor tibi in cithara Deus: » *PsAL.* xlii, 5, postest illa S. Ambrosii explicatio afferri, qua dicit: Habet citharam suam anima nostra. Neque enim diceret Paulus: Orabo spiritu, orabo et mente: psallam Spiritu, psallam et mente, nisi citharam haberet, quæ plectro Spiritus Sancti resultaret. Itaque explicetur, quos effectus habebat hæc cithara. 1. Quan apta sit ad « laudandum Deum, » utpote cum qua etiam viginti quatuor seniores canticum cecinisse, a Joanne sunt auditi. *Apoc.*, v, 8. 2. Ad « Dæmonem, » et Spiritum malum pellendum, ut olim David Saulis spiritum malum recedere coegit; sic enim Christus testatus est dicens: Hoc genus dæmoniorum non ejicitur nisi per orationem, et jejuniū. *MATTH.*, xvii, 21. 3. Ad « feras » id est, « peccatores attrahendos » et « convertendos, » uti Orpheus fecisse olim fingitur, sed verius de oratione dicitur, uti exemplo S. Pauli per preces S. Stephani, Sancti Augustini per preces matris, et plurium aliorum per aliorum preces conversorum probari potest. 4. Ad « animas ex orco aut purgatorio educendas » ut Orpheus Eurydicen eduxisse fertur, et vere factum, plurimis exemplis alibi monstratum est. 5. Ad « saxa pro urbe cælesti ædificanda, » uti olim Amphion fecisse, et cithara sua lapides ad urbem Thebarum ædificandam attraxisse fingitur, quatenus scilicet viatico sacro sumpto mox se movent, et cum gaudio inter orationes ad cælestem urbem se conferunt, futuri ibi angulares lapides. Vide Faber., them. iv, in *Dom.* post *Pascha*,

num. 5, item in Opere tripart., c. iii, in *eandem Dom.*

Ex occasione thematis: « Petite, et accipietis: » *JOAN.*, xvi, 24, potest narrari factum mendici, qui omnibus suis liberis statim post nativatem crura fregit, ut semper miser essent, et mendicare cogenterent, causamque quasitus respondit, se nullam artem faciliorem, et magis quæstuosam scire, quam artem mendicandi, idque proprio exemplo didicisse. Applicetur ergo hoc ad artem orandi, et 1. Ostendatur, quid ad hanc artem requiratur, ut scilicet mendicorum more inopiam, et miseriam agnoscamus, et aliis etiam demonstramus; ideo enim Deus quoque crura nobis, et manus fregit, ut ad omnia impotentes mendicare ab ipso opem cogereur: ut affectuosè ferventer opem petamus, et importuni simus in petendo eorumdem mendicorum more. 2. Ostendatur hanc artem facillimam esse, et quæstuosissimam, cum, et ipsa inopia nostra nos impellat, et Deus paratissimus sit ad audiendum, et dandum, quod petimus, aut, quod melius est. Quem in finem conc. 1. Fabri in *Dom.* 5 post *Pascha*, n. 3 et 4 serviet.

Ex occasione thematis: « Sine intermissione orate: » *I. Thess.* xvii potest dici, merito mirum videri, cur Deus ad orationem sine intermissione faciendam hortetur, cum tribus de causis homines rogare soleant, vel quia nesciunt alii eorum indigentiam: vel quia nos non amant: vel quia non peritinet ad ipsos nobis providere, quarum causarum nulla in Deo militat: de ipso enim dixit Christus: Scit enim Pater vester, quid opus sit vobis, antequam petatis. Et iterum: Non dico vobis, quia ego rogabo Patrem pro vobis; ipse enim Pater amat vos; atque adeo ad ipsum etiam spectat vobis providere. Afferantur ergo causæ, cur nihilominus velit rogari, scilicet. 1. Ut per orationem disponamur ad accipiendum; fiducia quippe est vasculum, quod quo capacius est, eo plus accipimus. 2. Ut sic donum, quod petimus, promereamur, sicut gaudium nostrum plenus sit. 3. Ut, dum Dei bonitatem velut aquam fontanam magis constringimus, et urgemus, largius illum effluere faciamus. 4. Ut debitum Deo cultum per exercitium tot tanque præstantium virtutum, puta fidei, spei, charitatis, humilitatis, religionis, longanimitatis, perseverantiæ, etc., exhibeamus, sicut ipsos quoque habitus

harum virtutum augeamus. 5. Ut familiares magis Deo efficiamur, atque ingentia quæ talis familiaritas secum affert, bona participemus. 6. Ut Dei dona magis æstimemus, si diu, et importunis precibus fuerint obtenta. Quæ omnia fusius explicata vide apud Fabr., c. II, in *Dom. 5 post Pasch.*

Ex occasione thematis : « Accedite ad eum, et illuminamini : » PSAL. XXXIII, 6, potest ostendi necessitas orationis per comparationem animæ nostræ cum luna, et Dei cum sole. Nam 1. sicut luna nullam habet lucem, nisi a sole; sic, et nos omne donum perfectum a Patre luminum accipimus. 2. Sicut luna lumen accipit secundum aspectum solis, et tota illuminatur, cum recte, et totaliter illi obvertitur; minus vero accipit, eum oblique eum respicit; sic anima nostra secundum dispositionem quam in oratione affert, plus vel minus lucis cœlestis recipit. 3. Sicut luna operatur in inferioribus juxta formam luminis a sole accepti; ita anima sibi, et aliis prodest juxta mensuram gratiæ in oratione acceptæ. 4. Sicut terra inter solem, et lunam interposita omnem communicationem luminis, et influxus impedit; ita terrestria desideria, et curæ potissimum fructibus ex oratione percipiendis impedimentum obiciunt.

Ex occasione thematis : « Sic ergo orabitur : Pater noster, qui es in cœlis, etc. » MATT. IV, 9, potest ostendi septemplex necessitas ex septem necessitatibus; nempe 1. Necessitas Ecclesiæ, ratione cujus petitur, ut sanctificetur nomen Dei. 2. Necessitas constantiæ ob fragilitatem, ratione cujus petimus, ut adveniat Regnum ejus, ne excidamus ab eo. 3. Necessitas cœcitatatis, ratione cujus petimus, ut fiat voluntas tua, quia illa optime scit, quid prosit nobis. 4. Necessitas sustentationis, ratione cujus petimus panem quotidianum. 5. Necessitas auxilii ad vitanda peccata et remittenda, ratione cujus dicimus : Et dimitte nobis debita nostra. 6. Necessitas roboris contra tentationes, ratione cujus oramus : Et ne nos inducas in tentationem. 7. Necessitas protectionis contra pericula, et mala corporalia, ratione cujus dicimus : Sed libera nos a malo. Quæ omnia fusius apud Fabr. conc. V, in *Fer. Rog.* et conc. I in *Dom. v post Pentec.* n. 2, explicata vide.

Ex occasione thematis ejusdem potest orationis Dominicæ præstantia, et excellen-

tia super alias orationes demonstrari, simulque petitiones in ea contentæ explicari, specialiter vero ostendi, quomodo septem petitiones contra septem vitia capitalia præsens offerant remedium. Quæ omnia videri possunt apud Fabr. conc. II, in *Fer. Rogat.* et concl. XII. Item in auct. them. III, in eadem Ferias.

ACCIDENTIA ORATIONIS. — Ex occasione thematis : « Quid oremus, sicut oportet nescimus » ROM., VIII, 26 vel, « nescitis, quid petatis » MARG., X, v. 38. dici potest, Christum recte hoc dixisse. 1. Quia plerumque «noxia» petimus, uti experientia ostendit, quia scilicet in rebus supernaturalibus cognoscendis plerumque adhuc infantes sumus. 2. Quia non « legitimo modo » petimus, uti, proh dolor! iterum experientia quotidiana clare nimis ostendit. 3. Quia « tempore importano » petimus, scilicet, ut statim, quando petimus, concedatur. Vide hæc fusius explicata a Fabro in Auctario them. II, in *festo S. Jacobi.*

Ex occasionem ejusdem thematis narrari potest, quod Giler Rex Wandalorum in monte præruptissimo juxta Hipponem a duce Phara inclusus, misso ad hunc Tabellario tria petierit, scilicet, « panem » quia diu nullum vidisset : « spongiam, » quia lacrymas abstergeret : « citharam » ad miserias suas deplorandas. Ostendatur eadem nobis petenda a Deo : scilicet « panem » quotidianum, id est, necessariam sustentationem : « spongiam, » id est, veram poenitentiam ad peccata delenda : et « citharam » vitæ honestæ, et sanctæ, quæ ex variis virtutibus velut fidibus componitur, et plus quam quidquam aliud animam in hac, et altera vita lætificat. Videri possunt hæc tria aliter explicata apud Fabr. in Auctar., them. I, in *Fer. Rogat.*, n. 3.

Ex occasione thematis : « In illo die in nomine meo petetis. » JOAN. XVI, moveri potest questio, cur Christus dixerit : « in illo die : » respondendumque hoc factum, ut significaret, semper quidem orandum esse, sed specialiter in certis quibusdam temporibus, nempe 1. In rebus dubiis. 2. In electionibus faciendis. 3. Cum iter agendum. 4. Quando matrimonium contrahendum. 5. Quando cibum sumendus. 6. Quando res difficiles aggrediendæ. 7. Ad alia negotia. Quæ omnia fuse diducta videri possunt apud Fabr. in Auctario, them. III, in *Dom. 5 post Pascha.*

Ex occasione thematis : « Amen, amen dico vobis, si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis : » explicari potest quid sit in nomine Christi petere, scilicet. 1. In nomine meo, id est, jussu, et imperio meo. 2. Propter me, et merita mea. 3. In persona mea, ut fratres Josephum in nomine Patris. 4. In nomine Jesu : ad salutem vestram. 5. Ad gloriam nominis mei. Quæ omnia fusius explicata videri queunt apud Fabr. them. II, in *Dom. 5 post Pascha.* JOAN., XVI, 14.

Ex occasione thematis : « Noli mihi molestus esse, jam ostium clausum est : » LUC., XI : possunt pariter enumerari causæ, cur Deus differat audire orationes, videlicet. 1. Ut miseriam nostram cognoscamus. 2. Ut dona illius magis æstimemus. 3. Ut rectius petamus. 4. Ut melius probetur virtus, et patientia nostra. 5. Ut fervor in nobis major exciteetur. 7. Ut nos secum diutius in oratione retineat. 7. Ut talione nos puniat. Quæ copiosius probata videri possunt apud Fabr. conc. IV, in *Feris Rogationum.*

Ex occasione thematis : « Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me : » MATT., XV, 8 : explicari possunt causæ, et remedia distractionum, simulque ostendi, orationem esse omnium rerum difficillimam, et facillimam. Possunt autem prædictæ causæ, et remedia fusius explicata videri apud Fabr. conc. VII, in *Dom. 5 post Pascha.*

Ex occasione thematis : « Alleluia, Alleluia, Alleluia : » APOC., XIX, 6 : explicari potest, quid sibi velit ista vox Alleluia, quod nimirum. 1. Hortetur ad gaudium spirituale. 2. Ad Dei laudem, et gratiarum actionem. 3. Ad pugnam spirituales. 4. Ad vitæ renovationem ac puritatem. De quibus vide Fabr. conc. VII, in *Dom. Resurrect.*

Ex occasione thematis : « Quis vestrum habebit amicum, et ibit ad illum media nocte? » possunt explicari ritus in supplicatione adhiberi soliti, dicitur 1. Cur Vexillum præferatur. 2. Cur Litanie cantentur. 3. Cur reliquæ gestentur. 4. Cur faces, et lumina adhibeantur. 5. Cur ordine procedatur. 6. Cur mortificatio adhibeatur. De quibus vide Fabr. conc. X, in *Fer. Rogat.*

Ex occasione thematis : « Nolite portare sacculum, neque peram, neque calcementa, et neminem per vitam salutaveritis. » LUC., X, 4. Ostendi potest, quæ cavenda sint in processione : nempe 1. Non portandus sac-

cus negotiationum. 2. Non pera commensationum. 3. Non calcementa superbi vestitus. 4. Nemo in via salutandus per confabulationem. 5. Eundem, sicut oves eunt, quæ videntur apud Fabr. them. IV, in *Festo S. Marci.*

## ALII CONCEPTUS.

QUALITAS. — Habebat olim populus Hebræus erga Arcam valde magnam fiduciam et tamen cum aliquando eandem contra Philisthæos eduxissent, erentat ab illis passi sunt stragem : factique sunt præda inimicorum suorum; et merito, inquit Theodoretus, cur enim Legem transgredientes, Arcam ad auxilium traherent, quæ Legem intus habeat sitam? quot sunt, qui ab Arca mystica, Beatissima inquam Virgine Maria ejusque patrocinio tamen, et protectionem expectant, cum tamen ipsi impurissimam vitam ducant? Numquid magna est temeritas, ejus implorare auxilium, ut impudicitie sordibus, quarum ipsa est inimica, vivere possint. MANST., DIS. XXVIII, n. 6.

S. Leo Magnus Attilam coercent, qui victoriosus, et insolens, per potentissimum exercitum universæ Italiæ servitutis jugum imponere minabatur : idem vero Sanctus Romæ per orationum suarum efficaciam a Deo obtinere nequivit, ne Genserius Romanum cum exercitu suo intraret : undenam oritur hæc utriusque eventus diversitas; maxime cum credibile sit, quod S. Leo, sicuti in annis profecerat, ita quoque in majori merito apud Deum pariter accreverit? Sciendum igitur est, hunc eundem S. Pontificem Urbis Romæ in penam ingratiitudinis suæ hanc calamitatem prædixisse, siquidem non solum ob gratiam, per repulsum Attilam receptam nullam erga Deum exhibuit gratitudinem, verum etiam deinceps magis, quam ante, theatris, spectaculis, aliisque profanis gaudiis se dare cepit, quibus iram Dei vehementer exasperavit. IB., n. 7.

Cœlestis sponsus non sine mysterio prius ad montem myrrhæ iterum se esse dicit, priusquam collem thuris ascendit : quia cum thuris nomine oratio symbolice intelligatur anima orans ad sanctum hoc exercitium quam maxime disponitur, si mortificationem, quæ per myrrham denotatur, sibi faciat familiarem : eos namque familiariter

visitat, inquit Sanctus Gregorius, quos per mortificationem vitiorum ad alta proficere, et per mundas, et utiles orationes suaviter redolere perspicit. *ib.*, *disc.* xxix, n. 1.

Pater Ribadeneira postquam in vita S. Francisci Borgiæ de Spiritu orationis, et contemplationis, in quo excollebat, fusius egisset, et tandem in capite sequenti de ejus mortificatione disserere vellet, sequens præmisit effatum: Recte in Asceticis judicant homines pii, suspectum videri orandi studium, nisi, et sui victoria comes accedat; sic enim appello, quam vulgo Mortificationem dicunt: quæ demandas esse animi perturbationes affectionesque doceat. Non fugit cœlestis hæc Philosophia Franciscum, diu, multumque in ea exercitatum, ideo orandi studio, mortificationis exercitium adjunxit. *Vita*, lib. IV, cap. 1.

S. Nilus ait: quod si Moyses monitus fuit, ne ad rubum accederet, nisi depositis calceis multo minus convenit, ut præsumamus per orationem cum Deo nos unire, nisi calceos affectum carnalium, et terrenorum deposuerimus. *Mansi, disc.* xxix, n. 5.

Hieronymus Cardanus curiose inquiri, cur rosæ spinis armentur, hancque illius assignat rationem: Quia si rosa spinifera non sit, nec etiam erit odorifera. Idem quoque in presenti dicere possumus; siquidem orationis nostræ incensum suam cœlum versus non exalabit fragrantiam, nisi prius contritum, et super prunas ardentes concrematum fuerit. *ib.*, n. vii.

Idem Auctor sequens movet dubium, videlicet, undenam fiat, quod, cum oratio adeo sit grata, et suavis (siquidem per hanc cum ipsomet Deo loquimur, et conversamur, et in hoc colloquio anima magnam lætitiã experitur, « non habet amaritudinem conversatio illius, nec tædium convictus illius, sed lætitiã, et gaudium: » cumque adeo sit utilis, et necessaria eadem oratio, nihilominus adeo illam difficilem, et tædiosam esse experiamur, ut, sicut Sanctus Bonaventura de profectu Religiosorum disserens notat, quasi ligati catuli ad stipitem, renitente animo cogamur esse in divinis? Porro ratio, quam ad dubium solvendum adfert, hæc est: quia licet oratio natura sua non sit difficilis, molesta tamen est mortificatio, quæ est dispositio ad illam necessaria; sic enim in rebus naturalibus videmus, quod difficultas in forma introducenda non consistat, sed in disponendo subjecto ad illam recipien-

dam; quot enim conatus non facit ignis, ut in ligno viridi prius humiditatem absorbent priusquam ardere incipit? quantus inde nascitur fumus? quot strepitus, et rumores trunci illius viror excitat? at vero, quando lignum dispositum est, flamma sine difficultate flagrare, et lignum consumere incipit; eodem modo difficultas, quam in oratione experimur, in eo consistit, quod scilicet viror, et vigor passionum nostrarum difficulter tollatur, quod effrænes appetitus nostri habent refrænentur, et coercantur: hoc autem semel obtento, mens nostra per viam orationis facillime ad cœlestia elevatur divinoque inflammatur amore. *ib.*, n. 8.

NECESSITAS. — In vitis Patrum legitur, quod fratres Abbatem Agathonem interrogaverint dicentes: « Pater, quæ virtus in conversatione plus habet laboris? » et dixit eis: « Ignoscite mihi, quia puto non esse alium laborem talem, qualis est orare Deum dum enim voluerit homo orare Deum suum semper inimici dæmones festinant interrumpere orationem fusam ad Deum. » *ib.*, v, l. XI, n. 8.

Holofernes ut civitatem Bethulie armis suis subiceret, eamque juris sui faceret, aqueductus, per quos aqua in civitatem manabat, incidit, et alio diverti præcepit, suamque sine dubio assecutus fuisset intentionem, nisi divina providentia heroïnã illam Judith ad notam illud heroïcum facinus patrandum permovissent: idem quoque est Holofernis infernalis stratagema, et artificium, qui ut animam nostram sibi subiciat, mysticos incidere nititur aqueductus, idest, removere a nobis satagit Sancti Spiritus impulsus, et inspirationes cœlestes, lumina item, et virtutes, quæ oratione mediante in animas nostras transmittuntur. *Mansi, disc.* xii, n. 5.

Observastisne aliquando, quam differenter se Christus habuerit in trium illorum mortuorum resuscitatione, scilicet, filii viduæ Naimiticæ, et filie Archisynagogi, necnon, et Lazari fratris Marthæ, et Magdalene: porro in duabus primis resuscitationibus Evangelistæ nullam orationis Christi mentionem faciunt ad æternum Patrem suum directæ, sicut in hac tertiã, qua Lazarus resuscitatus fuit. Nam Sanctus Joannes hanc resuscitationem describens, ait: « Jesus autem elevatis sursum oculis dixit: Pater, et infremuit Spiritu: Rursus fremens in semetipso. » Et quid vero ad hujus difficulta-

tis solutionem responderi posse existimas? Nimirum Lazarus peccatorem representabat in peccatis habituatam, et inveteratam: unde Rupertus Abbas ait: Typum gerit peccatoris, jam consuetudine nequitiae inveterati, jamque mala consuetudine fetentis, ut autem talis peccator in vitam, idest, in statum gratiæ revocetur, opus est efficacia orationis; oratio enim est officium fructuosum, ait Bellovacensis: magnum est lucrum hujus officii, quia semper, omni hora, et omni loco potest homo orando lucrari rem maximam, scilicet veniam peccatorum, gratiam meritum, et ipsum Deum, et ejus gloriam. *ib.*, *disc.* xvi, n. 3.

P. Rho de P. Magistro Joanne Avila ita scribit: Adolescentibus, quos litterarum labor exercebat, identidem affirmabat, malle se illorum gemæ callis obdurescere ob orandi contentionem, quam oculos laborare ob studia litterarum; harum enim sæpe inanem esse laborem, illius nunquam non frugiferam occupationem. Idem Stephanus Centanarum, cujus ingens erat concionandi studium, et laus, cum ab eo partitionem diurnarum, ac nocturnarum horarum inter orationis, ac litterarum studia audisset, horas aliquot litteris ademptas, præcationi jus sit contribuere, quod ista Christiane dicendi optima esset Magistra. *Rho*, l. III, c. viii, n. 1.

Regius Psaltes ait: « Os justi meditabitur sapientiam, et lingua ejus loquetur judicium. » Qui loquendi modus prima facie quidem improprius videtur, quia meditari ad mentem, non vero ad os pertinet: et tamen optime dicit, quia per hæc verba alludere voluit ad orationem vocalem, cujus lingua est instrumentum; nec non ad mentalem orationem, quæ interior sit in corde; quando igitur ambo hæc ununtur, tunc Prædicator loquitur, et prædicat cum judicio cum prudentia, cum fructu: tunc « lingua ejus loquetur judicium. » *Mansi, disc.* viii, n. 8.

Sanctus Carolus Borromeus summa cum sollicitudine sanctum hoc exercitium populo suo Mediolanensi commendavit, siquidem in illius littera quadam pastorali sequentia leguntur: Inter alia, quæ Sapientia Dei, Christus Dominus noster, in toto Sancti Evangelii decursu summa cum sollicitudine nobis commendavit; oratio præcipuum locum habet, cujus usus, et exercitium homini Christiano adeo est proprium, ut Deus

propter ipsam eos ab omnibus mundi nationibus dissimiles facere voluerit: « Domus mea, » inquit Redemptor, « domus orationis vocabitur; » quibus verbisevidenter demonstrat, orationem populi Christiani peculiarem tesseram esse debere, qui, sicut (tamquam Domus Dei familiares, e cœlo vivunt, idest, ex auxilio Dei, a quo omnia bona sperant; ita quoque per sanctum, et continuum orationis exercitium cum Deo, et Coelitibus commercium habere debent. Et paulo post orationi attribuit encomium, quod sit omnium virtutum principium, progressus, et complementum. Card. Baronius ex Epistola Theodolphi Abbatis Floriacensis, qui postea ad Episcopatum Aurelianensem assumptus fuit, verba quadam refert, quibus Clerum suum, ad quem prædictam Epistolam direxerat, ad legendum libros sacros, et orandum, his verbis invitat: His armis vitia comprimuntur: his alimentis virtutes nutriuntur. *ACTA. MED.*, f. 100.

Unum ex præcipuis mediis, quibus S. Philippus Nerius ad tantam perfectionem devenit, fuit oratio, cui per affectum adeo excessivum addictus fuit, ut omnia exercitia, quæ in Congregatione nostra instituit, et ordinavit, ad hunc præcipue finem directa fuerint: unde ob eandem causam institutum nostrum « Congregationem Oratorii » appellari voluit. Præterea ex libris, quos frequentius legere solitus fuit, specialis erat Joannis Cassiani lectio, in quo inter cæteras ejus Collationes sine dubio sequentia verba legit: Omnis Monachi finis (et consequenter cujuscumque alterius ad perfectionem aspirantis) cordisque perfectio, ad jugem atque indisruptam orationis perseverantiam tendit, et quantum humanæ fragilitati conceditur, ad immobilem tranquillitatem mentis, ac perpetuam nititur puritatem; qui idem Cassianus paulo post subdit: Sicut ad orationis perfectionem omnium tendit structura virtutum, ita nisi hujus culmini fuerint colligata, atque compacta, nullo modo firma poterunt vel stabilia perdurare. Unde S. Nilus monet inquis: Omne, quod agis, oratione obsignato. Si enim cor nostrum hoc orationis sigillo obsignatum fuerit, nulum erit periculum, ut dona gratiæ, merita, virtutes, quas in se recludit, ei eripiantur. Et ideo pariter S. Ephrem ait: Sigillo muniamur orationis. *VITA S. PHILIP. I. VII, c. 1.*

Archangelus Raphael de cœlo missus, ut

Tobiæ in itinere ducis loco serviret, cum juxta flumen Tigris immensum illum cepisset piscem, eum exenterari, et excerptum ex eo jecur assari, et conservari præcepit subdens: « Cordis ejus particulam si super carbones ponas, fumus ejus extricat omne genus dæmoniorum. » At vero, inquit, quidnam fumus sicci hujus piscis super carbones positi cooperari poterit ad spiritum rebellium fugam, et dissipationem? respondet Lyranus per fumum hunc orationem symbolice intelligi, uti ex illis verbis *Apocalypsis* colligitur: « Ascendit fumus incensorum. » Quod si igitur sola orationis umbra, et figura, quamvis remota, ad dissipandum universum infernum sufficit, quid ipsa oratio non præstabit? utique extricat omne genus dæmoniorum. Ad hæc quamvis dæmon omnibus aliis Saræ sponsis necem intulerit, attamen mox ut Sara et Tobias ad orationem se prostrarunt, superatus, et confusus remansit; unde Lyranus ait: Fumus ille ex igne procedens significavit orationis virtutem Tobie et Saræ, cujus merito Angelus Raphael expulit dæmonem a Sara. *MANSI., dis. xi, n. 1.*

Sanctus Bernardinus rationem assignat, cur oratio tempore matutino facta, opportunior sit, quam quavis alia diei hora ad Deum effusa; ait enim: Merito mane oratio optima est, propter mysterium suum; nam signat gratiæ infusionem, quæ maxime in illa hora a fidelibus per orationem acquiri potest; quia sicut in aurora fugiunt latrones, sic tunc per orationem infusione gratiæ fugiunt dæmones, sicut in aurora lupi, vulpes, et alia fera se abscondunt, nam in tempore noctis hinc inde ad pastum vagantur, unde *PSALM. ciii*, dicitur: « Posuisti tenebras, et facta est nox, in ipsa pertransibunt omnes bestię sylvæ; » de mane vero idem ait: « Ortus est sol, et congregatæ sunt, et in cubilibus suis colloabuntur. » Sic in nocte tentationes multiplicantur, in aurora tunc per gratiam in oratione infusam discedunt. *S. in RAG., a. II, c. v.*

Sponsus celestis, teste Blosio, sanctæ Catharinæ dixit: Scito, filia, quod anima perseverans in humili fidelique oratione, adipiscitur omnem virtutem; unde nullo modo orationis studium negligendum, aut omitendum est ob aliqua adversantia, sive ea procedant ab illusionem Satanae, sive a fragilitate propria, sive a cogitationibus imundis, sive ab inordinatis stimulis, et

carnali motu corporis: frequenter enim diabolus orationis tempore anima variis imaginibus, et phanastmatibus magis infestare conatur, quam extra tempus orationis. Tunc callide suggerit oranti, quod talis oratio nihil illi prosit, cum alia cogitare non debeat, quam illa, quæ orat; malignus hostis hoc persuadere nititur, ut is, qui orat, tædium, confusionemque mentis incurrat, atque ita omittat exercitium orationis, quæ est armatura fortissima adversus omnes inimici insultus. *In Concl., c. III.*

Sanctus Bonaventura alium quemdam recenset orationis effectum, scilicet reparationem virtutis nature, juxta illud Jacobi 5. « Oratio fidei salvabit infirmum, et alleviabit eum; » unde *ECCLESIASTICUS c. xxxviii*, merito nos monet, ne, dum infirmi sumus, nos ipsos negligamus: « Fili, in tua infirmitate ne despicias te ipsum; » at vero quam id modo practicandum erit, ut ab infirmitate resurgamus? sapiens subdit: « Ora Dominum, et ipse curabit te, » potestine meliorem hoc medicum desiderare, est hic medicus tibi semper vicinus, et promptus, qui pro restituenda sanitate aliud non requirit stipendium, quam orationem, de qua B. Laurentius Justinianus ait: Infirmitatem orationis virtus sanat, omnes medici pecuniis, Deus autem noster para oratione ad conferendam sanitatem placatur. *S. BON., in c. xviii, Luc.*

Salvianus explicans illud *Psalm. xxxiii*: « Oculi Domini super justos, et aures ejus in preces eorum: » sic loquitur: id quod dicit, divinas aures in precibus semper esse justorum, non audientia tantum Dei, sed quædam quasi obedientia designatur; quomodo enim in precibus justorum divina aures sunt, quomodo, nisi ut semper audiant, nisi ut semper exaudiant, nisi ut prompte audita tribuant, nisi ut illico exaudita concedant. *SALVIAN., lib. II de Jub. Dei.*

In aula regis sæpe fit, quod, postquam quis est admissus ad proxima regio conclavi penetralia, ab hoc tamen non statim ad audientiam admittatur, sed sæpe longo tempore expectando hæere debeat; at vero non sic res orationis cum Deo habet, sed oratio recta ingreditur, nec diu præstolatur audientiam; quin potius Deus expectat nos magna que cum anxietate preces nostras præstolatur, atque audientiam a nobis habere desiderat; unde David dicebat: « Audiam, quid loquatur in me Dominus Deus. »

Et in *Apoc.* dicitur: « Ecce ego sto ad os-tium, et pulso; » vix oratio Dei throno appropinquavit, cum ecce subito ingreditur, nec est, qui illam impediatur: « Intret in conspectu tuo oratio mea. » Prius dixerat: « Appropinquet deprecatio. » Inquit Hugo Cardinalis, nunc dicit: « Intret postulatio, » quod plus est. Oratio enim non tam supplicat, quam imperat. Ly enim « intret, imperium sonat, sicut, et sequentia verba: « Fiant aures tuæ intendentes in vocem deprecationis meæ. *MANSI., dis. xix, n. 4.*

D. Chrysostomus eorum, qui ab oratione faciendâ exemptos sese autumant, eo quod sacris in locis eam, ob negotia sua impediti, fundere nequeant, nequaquam admittit excusationes; ne excusationem quæramus, inquit, dicendo, non esse propinquam precatiois adem; nos enim ipsos, si sobrii fuerimus, templa faciet Divini gratia Spiritus, ut magna utique nobis precandi facultas affluat; neque enim talis est apud nos Divinus cultus, qualis quondam apud Judæos erat, multum habens sensibilibus cæremoniarum. Illic peccatorum oportebat ad templum ascendere, thus emere, ligna, et ignem ad manus habere, arrepto cultro altari assistere, aliaque multa præcepta perficere; hic nihil tale, sed ubicumque fueris, presto est tibi altare, et culter, et victima: tu ipse altare, et sacerdos, et victima es, Sacrificia illa in limitato loco, et templo offerrebantur; ad nostram autem orationem, quæ grata est Deo, loco holocausti, uti B. Laurentius Justinianus ait, non locus, sed affectus ad orandum est eligendus. *HOV., iv, de Ann.*

Etiamsi nec genua flectas, nec pectus pulses, nec manus ad cœlum tendas, si mentem solum afferas fervidam, nihil tibi ad absolutam preceationem deerit; licet enim mulieri colum tenenti, aut telam textenti suspicere in cœlum, ac ardenti pectore Deum invocare: licet etiam viro in foro versanti, aut iter facienti ardentem precari. Alteri itidem in officina sedenti, ac corria suenti, animam ad Deum erigere: licet servo sursum, et deorsum cursitanti, vel in culina ministranti, si non adire Ecclesiam, preceationem intentam ex imo pectore ciere: non pudet loci Deum. *Iam.*

Silentes audit Deus: non locus, sed propositi initium quæritur. Jeremias enim in luto erat, et Deum attraxit. Daniel in leonum lacu Deum placavit. Tres pueri in ca-

mino Deum promeruerunt. Latio non cruce prohibitus, quin Paradisum assecutus fuerit. Job in stercore Deum ad misericordiam provocavit; igitur ubicumque fueris ora. *S. BASIL., hom. xiii, in Ex. ad Pop.*

PERSEVERANTIA. — Fortasse differt, quæ daturus est, inquit S. Basilus, ut hoc modo magis te ad assiduitatem vocet, et ut intelligas, quod sit donum Dei, et ut datum diligenter custodias, siquidem nititur unusquisque, quod magno labore invenit, id majori etiam quadam diligentia custodire, ne eo amisso, labores etiam cum eo suos multos amittat, neque neglecto Dei munere æterna vita indignus efficiatur. Proinde noli unquam animum despondere, nisi celeriter invenias, quod rogas: si enim intellexisset Dominus, te, si munus celeriter impetrasse, id nequaquam esse amissurum, sine dubio, quæ ejus est bonitas, ultro ipse tibi, nullo tuo rogatu, detulisset. *S. BASIL., c. II, Const. monast.*

Cornelius Jansenius ponderans verba illa: Petite, querite, pulsate, inquit: « Tribus istis sententiis unum, et idem significatur, nisi quod congeries sententiarum commendat fidentem, instantem, et ardentem preceationem; nam ipsum petere, fiduciam in oratione necessariam significat; querere vero, diligentiam, pulsare, ardorem et perseverantiam. *MANSI., dis. xxxvii, n. 4.*

S. Doctor Bonaventura super consilium illud Evangelicum in principio capituli xviii. *S. Luca* relatum: « Dicebat autem et parabolam ad illos, quoniam oportet semper orare, » et non deficere ita scribit: Hoc intelligitur, ut oratio semper, vel sit in ore per postulatum; vel sit in corde per desiderium, vel sit in opere per præparationem; qui autem bona agit, ad hoc se disponit, ut ejus oratio debeat audiri, et secundum hoc dicitur: « Sine intermissione orate, » ubi Glossa ait: Semper orat, qui bene agit semper; ipsum enim desiderium bonum, oratio est; et si continuum est desiderium, continua est oratio; et hoc est, quod dicit Beda in *Glossa*: Semper orat, qui semper agit bona, nec desinit orare, nisi cum desinit justus esse. *S. BON., in Luc., c. xviii.*

S. Hieron. super illa verba: Laudate eum sol, et luna, inquit: In eo, quod a suo officio, et servitio non recedant, servitium ipsorum laus Dei est: quod enim proposito præsentem applicare possumus. *In Ps. cxlviii.*

S. Chrysostomus objectionem cuiquam a

sæcularibus fieri solitæ in hæc verba respondet. Dices : qui fieri potest, ut homo sæcularis forentibus negotiis affluxus, tribus horis diei preceat, et ad Ecclesiam currat Respondet S. Doctor : Potest, et facile est, licet enim ad Ecclesiam currere non sit commodum, potest inibi, foro, curiaque vestibulo inhærens preceari; ad hoc enim mente magis opus est, quam voce; animi contentione magis, quam manuum extensione; nec tam refert, quo corporis habitu id facias, quamquo animæ affectu. HOM. IV. de ANN.

S. Bonaventura observat, quod Christus nos in oratione instruens, nullam fecerit temporis mentionem : tempus, inquit, taceatur, ut ostendatur, quod omni tempore indifferenter est orandum secundum quod dicit infra : « Oportet semper orare, et non desicere : » et ECCLESIASTICI 15. « Non impediaris orare semper. » S. BON., *Luc.*, c. XI.

B. Laurentius Justinianus hujus sancti exercitii multos enumerat effectus, inquit : Terret demones, adversarios superat, immutat homines, vires reparat, roborat mentem, inter quos ultimus hic effectus consideratione est dignus; siquidem, ut experientia docet, multi quidem sunt in operibus bonis producendis fecundati, at vero spiritus eorum sepe similis est igni ex stramine vel paleis excitato; sicut enim hic magnam flammam parit, sed subito evanescit; ita quoque multi in primis vitæ fervoribus multis quidem vacant virtutum heroicarum operibus, at vero mox fatigati, minime in his perseverant. DE PERF. GRAT., c. XII.

DE OBJECTO ORATIONIS, SEU QUID PETENDUM. — Psalmista PSALM. LIV, ab his verbis exorditur : « Exaudi, Deus, orationem meam, et ne despereris deprecationem meam, intendente mihi, et exaudi me. » At vero undenam Davidi tanta nata est confidentia de se exaudiendo? Audite expositionem Bedæ dicentis : « Multorum exauditur oratio, cum pro temporalibus rogant, et conceditur eis quod postulant, quorum postea despicitur deprecatio, quia terrena orant, non æterna, et ideo iste utrumque ponit, scilicet ut orationem exaudiat, et deprecationem non despiciat, id est, terrena eum orare permittat. » MANST., *disc.* XXXVIII, n. 2.

Idem Regius Propheta PSALM. LXXVI, ita incipit : « Voce mea ad Dominum clamavi, voce mea ad Deum, et intendit mihi. » At vero quis unquam repertus est, qui voce alterius clamavit? Cur igitur « voce mea? »

Audiamus eundem Bedam dicentem : « Hac voce clamat, qui corde clauso ab omni affectione terrena, tota mentis affectione non ad aliquid terrenum, sed ad Deum aspirat, ut ipsum præmium recipiat; ille vero non hac voce clamat, qui magis terrena, quam Deum desiderat, et ideo non pro se, ut ipsum præmium habeat, sed pro ipsis terrenis postulat, qui infelicio est, cum exauditur, quam si non exaudiretur. » IAN.

S. Ambrosius circa populum Hebræum ad Deum clamantem, nec exauditum, et circa Moysen, qui licet os suum non aperuisset, auditus tamen, et exauditus fuit, sequentem instituit ingeniosam observationem : Dicit ad eum Dominus : « Quid clamas ad me? » Sonum ejus non audio, vocem ejus agnosco, silentium ejus lego, clamorem ejus in operibus deprehendo. Clamabat populus, et non audiebatur, tacebat Moyses, et exaudiebatur. Non populo dictum est, « quid clamas ad me? » Non enim ad Deum clamabat populus, qui injusta, et viris indigna clamabat, sed Moysi dictum est, « quid clamas ad me? » Hoc est, tu solus ad me clamas, qui de me speras. S. AMBR., in Ps. cxviii. Scire ne cupitis, quoniam desideria illius, quem inter omnes homines Deus secundum cor suum esse agnovit, directa fuerint? Ipsemet ait : « Unam petii a Domino, hanc requiram, » sed quænam est res hæc una, quam petiit? Num forte, ut cessaret Saulis persecutio? vel ut ad solium regium, pro quo possidendo a Samuele consecratus fuerat, intronizaretur? Aut vero numerosam a Deo prolem sibi dari petiit? Nequaquam, sed hoc solum : « Ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ mee. » Nimirum priusquam Christus illam annunciarit Evangelii magnam veritatem, jam eam perfecte intellexerat, scilicet : « Primum querite Regnum Dei, et justitiam ejus. » Et ideo dixit : « Unam petii, » id est, ut Hugo Cardinalis exponit, vitam æternam. MANST., l. c., n. 3.

DE PUBLICA, ET COMMUNI ORATIONE. — In Actibus Apostolorum terribilis illa legitur Herodis contra Ecclesiam tunc nascentem persecutio, occidit enim Jacobum fratrem Joannis gladio, videns autem quia placeret Judæis, apposuit, ut apprehenderet, et Petrum. Imo S. Petrus paulo post incarcerationatus, et duabus catenis vinctus, multisque militum custodiis summa cum diligentia custodiebatur; et tamen in eodem carcere

occiderunt catenæ de manibus ejus, descenditque Angelus quidam de cælo, qui carcere illum aperiens, eum liberavit. Quare hoc? Quia, dum Petrus servabatur in carcere, oratio fiebat sine intermissione ab Ecclesia ad Deum pro eo. MANST., *dis.* XVIII, n. 5.

In Exodo legitur : « Moyses, et Aaron, et Hur ascenderunt super verticem collis. » Exod., VI, XVII. Ubi Lippoman ait : « Ascenderunt ad orationis locum; ubicumque enim duo vel tres Dominum fuerint deprecati, in fide exaudiuntur. Quod si vero tantum valent duo vel tres, quanto plus mille, decies mille, et centum millia, imo integer quidam populus valebunt? Multorum oratio frequentior fit, et exaudibilior, ideo orationes agenda etiam in Ecclesia. »

D. Chrysostomus eos, qui dicunt : « Orare domi possumus, his verbis perstringit : » Te homo decipis, et magno in errore versaris. Nam etsi domi quoque detur orandi facultas, tamen fieri non potest, ut domi tam bene ores, quam in Ecclesia, ubi tot Patres, ubi clamor felici societate excitat ad Deum immortalem refertur. Non pariter exoras, cum solus Dominum obsecras, neque tuis cum fratribus; est enim in hoc plus aliquid, videlicet concordia, conspiratio, copula amoris, et charitatis, sacerdotum preces. Præsumt enim ob eam rem sacerdotes, ut populi orationes, quæ infirmiores per se sunt, validiores illas complexæ simul in cælum evehantur. S. CHRYS., n. 3.

S. Chrysologus super illa verba : « Quod si duo ex vobis consenserint, » etc., inquit : Audistis quantum possit, et prævaleat sanctæ petitionis assensus? Non dixit illud aut illud, sed totum se promisit, quicquid unitas postulationis concupierit præstaturum. Et paulo post subdit : Ubi sunt, qui præsumunt, Ecclesie conventum posse contemni, et solitarias preces venerandæ congregationi autnant anteferri, si duobus vel tribus simul positis medium se futurum, et omnia se promittit, quæ postulatus fuerit, præstaturum? Qui nil negat tam paucis, quid in congregatione Sanctorum poscentibus denegabit? Sic credens Propheta, hoc adeptum se gloriatur, cum dicit : « Confitebor tibi, Domine, in toto corde meo, in consilio justorum, et congregatione. » SER. CXXXVII.

DE ORATIONE DOMINICA. — Omnia, quæ desiderantur, inquit S. Bernardinus, sive

ad finem acquirendi aliquid bonum, sive removendi a nobis quodcumque malum, vel conservandi bona, quæ habemus, vel denique liberandi nos a malis, in quæ incidimus, aut quæ imminent, in hac oratione petuntur. Et quidem bona, quæ petuntur, vel sunt naturæ, vel gratiæ, vel gloriæ : Primo autem loco postulamus bona gloriæ, dicendo : « Adveniat regnum tuum. » Secundo bona gratiæ dicendo : « Fiat voluntas tua, sicut in cælo, et in terra. » Tertio bona naturæ, quæ in illa continentur petitione : « Panem nostrum, etc. » Postea petimus, ut nobis remittantur mala, sive illa sint præterita, sive præsentia, sive futura, sive culpæ, sive poenæ, sive etiam tentationis. A malis culpæ liberari petimus, cum dicimus : « Dimitte nobis debita nostra. » A tentationibus, cum dicimus : « Et ne nos inducas in tentationem. » A malis poenæ, dicendo : « Libera nos a malo. » S. BERN. ap. MANST., *disc.* XI, n. 7.

Ipsemet Filius Dei apud S. JOAN., c. XVI, ait : « Amen, amen dico vobis, si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. » Quanto igitur major spes nobis esse poterit, si non solum in ejus nomine, verum etiam per supplicationem a Filio Dei compositam desideratis ab ipso gratias postulemus? quod idem S. Cyprianus his verbis tangit, dicens : « Quanto efficacius impetramus, quod petimus in Christi nomine, si petamus ipsius oratione? » Maxime cum, ut S. Cyprianus ait : Hoc sine Christus illam composuerit, ut dum prece, et oratione, quam Filius docuit, apud Patrem loquimur, facilius audiamur, et agnoscat Pater Filii sui verba, cum prece facimus. Gratiore enim attentus in auribus æterni Patris resonare nequeat, quam Filii illius, de quo sepius et cælo testimonium perhibuit, dicens : « Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, ipsum audite. » Quasi dicere vellet : Audite ejus instructiones, et estote certi, quod si mihi supplicationes vestras ab ipso formatas porrexeritis, mihi futuræ sint gratissimæ. MANST., *d.* XL, n. 2.

S. Bernardinus hanc rationem insinuat, cur cælestis Magister hanc orationem componere voluerit, dum ait : Propterea ne vagemur incerti, omnium petendorum nobis in hac oratione formam dedit. Unde videtur mihi, quod æterna, et prima veritas, quæ errare non novit, nec se decipi



permittit, nobis Christianis dicat illud Joëlis Propheta II, 23. « Filii Sion, lætamini in Domino Deo vestro, quia dedit vobis Doctorem. » Sic orabitur: « Pater noster etc. » S. Aug. ad Probam nos ab hujus petitionis limitibus nequaquam egredi posse dicit: Liberum est aliis, inquit, atque aliis verbis, eadem tamen in orando dicere, sed non debet esse liberum, alia dicere. Porro de hujus orationis securitate S. Cyprianus testatur, inquit: Quæ vera magis apud Deum Patrem precatio, quam quæ a Filio, qui est veritas, de ejus ore prolata est? S. BERN., l. VI, c. 1.

Deus in *Ecodo* præcepit, ut ad illuminandam domum suam, quam domum orationis esse dixit, magnum quoddam fundetur candelabrum, totaliter aureum, in septem lucernas, a septem ramis in formam liliorum fabricatis, sustentatas distinctum. Omnia autem hæc in figura contingebant illis. Candelabrum enim hoc orationem Dominicam præfigurabat, quæ septem continet petitiones, velut totidem lucernas, mysticam animarum fidelium templum illuminantes. MANSI., *dis. xl.*, n. 3.

Nescio an vos ad hoc aliquando reflexeritis, quod quando Verbum hoc abbreviatum e sinu Patris in terram descendit, tribus præcipue rebus manum suam apposuerit, illisque omnibus ad salutem nostram spectantibus. Abbreviavit enim, et compendiauit sacrificia, præcepta, et orationes. Porro sacrificia, et oblationes legis Mosaicæ non habebant numerum, et hæc omnia restrinxit, et compendiauit in incruento Missæ sacrificio. Unde in Collecta quadam ita orat Ecclesia: « Deus qui legalium differentiam hostiarum in unius sacrificii perfectione sustulisti, etc. » Præcepta vero ceremonialia, judicialia, et legalia, omnia in unum solum restrinxit, videlicet in præceptum dilectionis proximi: « Plenitudo legis est dilectio; qui diligit proximum, legem implevit. » Orationes pariter, quarum multe, et variæ erant, prout ex sacris litteris deducitur, in unam solum compendiauit, scilicet in hanc Orationem Dominicam, siquidem hæc virtualiter, et eminenter omnes alias preces complectitur. Adeo ut, sicut ab increata Sapientia homo vocatur omnis creatura, ita quoque oratio. De qua proinde multo melius, quam de *Apocalypsi* dici potest: « Tot sacramenta, quot apices. » *ib.*, n. 3.

Inter alias orationes Oratio Dominica principaliter invenitur; habet enim quinque excellentias, quæ in oratione requiruntur. Debet enim oratio esse secunda, recta, ordinata, devota, humilis. Omnes autem hæc prerogative in hac oratione recluduntur. Nam primo est securissima; est enim ab Advocato nostro formata, qui est sapientissimus Petitor, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ; securior apparet ex hoc, quod ipse, qui orationem exaudit cum Patre, docuit nos orare secundum illud *PSALM.* XC. « Clamabit ad me, et ego exaudiam eum. » Etenim, si quando vobis memoriale aliquod ad certam quandam gratiam implorandum Principi porrigere volentibus, ipsemet Princeps, cui illud porrigendum est, ipsum propria manu formaret, aut diceret, numquid vos omnimodum per illud memoriale quidvis impetrandi securitatem, et fiduciam habere existimatis? Tale quid autem nobis contingit in præsentem; nam ut D. Chrysologus ait, orandi thema, materiam petendi, supplicandi normam, paucissimis in verbis ipse tibi, qui tibi exorandus, indulsit, ut ex hoc petendi tu sumas sensum, intellectum postulandi capias, mensuras colligas impetrandi, et brevissimo magisterio orandi latissimam capias disciplinam; simul quia ad amoris indicium Rex ipse officio functus est Advocati, ut preces, quibus responsurus erat, ipse diceret; cunctatio ablata est impetrandi omnis: immo fiducia collata est tota promerendi, quando ipsum se legit in precibus, qui rogatur. Secundo est certa; nam ipse Christus doctor est; nam ipsius est docere, quod nos orare oporteat; ea quippe, quæ ipse orare docuit, rectissime postulatur. Tertio est ordinata; est autem hic debitus ordo, ut spiritualia carnalibus, cœlestia terrenis, desiderando, et orando præferamus, secundum illud *MATTH.* VI. « Primum quaerite Regnum Dei. » Hoc Dominus in hac oratione servare docuit; in qua primo petuntur cœlestia, postea terrena. Primo enim loco docemur mentem, et vocem elevare ad cœlum, invocando Deum, tamquam Patrem: « Pater noster qui es in cœlis. » Postea ad sanctificandum ejus nomen, et ad regnum ejus postulandum, necnon ad implendam divinam ejus voluntatem. Quo facto, docemur petere res alias, ad nostrum commodum, et utilitatem spectantes: « Panem nostrum, etc. » Quarto est devota, quia pinguedo devotionis facit,

sacrificium orationis esse Deo acceptum. Devotio plerumque propter prolixitatem orationis obtunditur; unde superfluum orationis prolixitatem docuit vitare *MATTH.* VI. « Orantes nolite multum loqui; » et S. Augustinus dicit ad Probam: Absit ab oratione multa locutio, sed non desit multa precatio, si fervens perseveret intentio: unde Dominus hanc orationem brevem instituit. Consurgit autem devotio ex charitate, quæ est amor Dei, et proximi, quorum utrumque in hac oratione ostenditur. Nam ad insinuandum divinum amorem vocamus eum Patrem. Ad insinuandum autem amorem proximi, communiter pro omnibus oramus, dicentes: « Pater noster, et dimitte nobis etc. » ad quod proximorum dilectio nos inducit. 5. Est humilis; nam vera humilitas est, quando aliquis nihil ex suis viribus præsumit, sed totum ex divina virtute impetrandum expectat. Hoc autem in præsentem adimpletur, quia gratias, quas postulamus, ex liberalitate Dei proficisci agnoscimus, de nullo merito proprio præsumentes. S. TH., *Op.*, c. VII.

## MEDITATIO.

Inter alias Regni cœlorum similitudines cœlestis Magister hanc quoque adduxit a sinapi desumptam, inquit: « Simile est Regnum cœlorum grano sinapi. » Quis vero non admiretur, quod cœlum adeo vastum, grano tam minuto ab illo comparetur, qui dixit: « Ego sum ostium, per me si quis introierit, salvabitur? » Sciendum vero est, hanc esse seminis hujus proprietatem, ut Glossa interlinearis ait, et ipsamet confirmat experientia, scilicet quod quanto plus teritur, tanto plus redolet ejus fragrantia, acrimonia, et virtus, quam in se continet. Ecce tibi igitur mysterium, ob quod huic semini Regnum beatum assimilatur, nimirum quia, qui illud sibi vult acquirere, huic necesse est, ut per attentam meditationem mysteria fidei nostræ, ut ita dicam, mastice, et comminuat. Quoniam putatis modo Davidem Legis Dei amore, et affectione captum fuisse? Ipsemet id ipsum dicit, nam postquam dixisset: « Quomodo dilexi legem tuam, Domine? » protinus respondit: « Tota die meditatio mea est; » nimirum perfectionem, et profectum, quem ob obser-

vantia hujus legis anima fidelis percipit, attentè meditabatur; unde dicebat: « Lex Domini immaculata, convertens animas, testimonium, etc. » MANSI., *d. xxxvi.*, n. 6.

Jeremias causam, propter quam innumerabiles animæ perduntur, his verbis assignat: « Desolatione desolata est omnis terra, quæ nullus est, qui recogitet corde; » ubi ponderandum est verbum illud, « recogitet; » non enim sufficiebat Propheta dicere, « cogitet; » sed dixit, « recogitet. » Unde, et Ezechias in cantico suo ita canit: « Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ. Domine, si sic vivitur, etc. fructus autem, quem inde percipit, hic fuit: « Te autem erusti animam meam, ut non periret. » *JEREM.*, c. XII.

## MISCELLANEA.

QUALITAS. — S. Gertrudis ex cœlo didicit, orationis verba, et devotæ verba nobilissimis gemmis aut floribus vernantissimis esse similia, aut organi instar suavissimam edere harmoniam; si autem oratio negligentior sit, et sine cura, tum verba floribus marcidis, gemmis obscuris, et insuavi musica similia esse. DREXEL., *Rhe. cœl.*, l. I, c. IX, § 2.

Orator coram Turearum Imperatore causam acturus per plurima conclavia deducitur: in singulis gestu supplicii, submissis humi genibus, reverentiam, tanquam adversus Imperatorem præsentem exhibere cogitur, siquidem ad aures Imperatoris admitti velit. DREXEL., *Rhe. cœl.*, l. I, c. VI, § 1.

S. Hieronymus, quaerens, cur Jeremias dixerit: Neque taceat pupilla oculi tui: respondit; quando coram Deo lacrymas funduntur, tunc dici pupillas oculorum transmittere Deo voces. S. HIER., ap. *Rodr.*, p. I, t. V, c. XII.

P. Drexelius ait, quosdam auctores illum Davidem versum: Respexit Dominus in orationem humilium: interpretari quæ in orationem cœlestem. « Quod cum alia avicula primo vere canere incipiant, et in summis caloribus sileant, hæc toto æstivo tempore, incredibili constantia strideat, atque adeo moneat, etiam tempore adversatis orare. *LIBR.*, II, *Rhe. cœl.*, c. V, § 4.

S. Climacus modum orandi docens, ante

omnia, ait: In orationis nostræ chirographo gratiarum actionem sinceram statuimus: in secundo autem versu confessionem, et contritionem animi, ex intimo affectu procedentem. Atque ita demum Regi nostro postulationem indicemus nostram. GRAD., XXVIII, p. 293.

In Regno Bao cum nocte quadam Christiani in templo orarent alta voce, repente silvestris bubalus oppidum ingressus, templi atrium intrat, ubi bubalus domesticus erat, in quem silvestri facto impetu, cum ab eo aberraret, eodem furore in columnam impedit, quæ erat una e templi fulcris (sedes enim inferne ob tigrum metum non incidunt) tanto impetu, ut totum templum concuteretur. Interim orantium intus nemo se omnino movit, sed omnes precibus erant intenti, velut nihil accidisset; ipso etiam domestici bubali dominus orare non destitit, sed monitus, ut eum tumultum sedaret, respondit, non videri sibi conveniens, ut Deum relinquat, ad bubalum servandum: ejus loco siquidem interiret, alium se empurum. P. JOAN. PHILIP., *de Mart.*, in *Miss. Jap.*, l. II, c. XI.

S. Sanctus quidam cœnobii Antistes assidue Deum precabatur, non pateretur unquam cœtum suum a se separari, nec in hac, nec altera vita, sed ut et in cœlo sint simul. Hunc Christus post tot preces ita erudiit. Appetebat in remoto Asceterio festus Sanctorum dies, ad quem invitatus, per quietem vocem audiit: « Ite, sed præmitte Fratres tuos; ut postremus sequere. » Christus igitur ægri mendici specie media se in via abiecit. Discipuli præeuntes ægrum rogant causam ejulatus, qui respondit: « Eger insidebam jumento, quod excusso me fugit, etiam desertus non habeo, qui me ad urbem deportet. » Cui Monachi se excusabant, quod et ipsi pedites irent, et eo relicto abierunt. Secutus Abbas eundem offendit, cognitoque illius statu quæsivit, nonne paulo ante transire quidam Monachi, et te hic etiam relictum invenire. « Sane, » inquit æger, « sed audita conditione mea abiere, quod dicent: Se pedibus incedere, non posse opem ferre. » Et Abbas: « Potesne paululum ingredi, ut simul sensim progrediamur? Non possum, » inquit. Ergo Abbas eum in humeros suscipit, dicens: « Deus nos sublevalit: Abeamus. » Et æger: « Quomodo me per tantum spatium itineris feres? Abi modo, et precare pro

me. » Et Abbas: « Non dimittam, en saxum, cui te impositum subibo, et gestabo. » Passus est igitur id fieri miser; et primum quidem sensit onus ad hominis modum grave; mox levius, iterumque facilis; tandem cum vix sentiret amplius sarcinam, cepit mirari, quid hoc rei esset, cum e vestigio, qui gerebatur, nullus fuit, et nusquam apparuit; sed vocem audiit se compellantem: « Quando assiduo oras pro tuis discipulis, ut vivi, et mortui una sitis, et illi honore cœli, et beatitate juxta tecum perfruantur, videas ut longe diversa illorum, ac tua sint studia virtutum? Conare ergo illos ad sui emendationem incitare, uti se tecum exerceant, ut possim tua petitioni satisfacere. » Alienæ preces tum demum prosunt, cum per eas tibi non obes, sed opere adjuvas precantem. RODERTUS, in *Virid.*, p. III.

S. Bernardus fere contemplationi sedendo vacavit, ut et Apostoli in Adventu Spiritus S. erant sedentes; et secundum Aristotelem: « Anima sedendo fit sapiens. » CORNEL. A LAPIDE, *Ap.*, c. II, in *Actor.*, 2.

NECESSITAS. — S. Thomas Aquinas aiebat, Religiosum sine oratione, militem esse sine armis, imbellem scilicet, imo nudum. ROSTR. p. I, tr. v, c. II.

S. Thomas de Villanova dicebat, præstare orationem, quod calor naturalis in stomacho solet, nempe vitam hominis conservare, alimenta concoquere, membra vegetare, totumque hominem restaurare. CAP. XI, *Vit.*

Theodoretus refert, Monachum quemdam dixisse orationem esse medicinam universalissimam, efficacissimamque, omnibus animi affectibus perdomandis atque curandis, omnibus hostibus sternendis, omnibus denique virtutibus comparandis sufficientem, quod nimirum applicet animæ bonum infinitum, quod est Deus, atque hoc sensu orationem omnipotentem vocari, quia una cum sit omnia potest. AP. ROBR., p. I, tr. v, c. XIV.

S. Augustinus medium assignans ad cor conservandum, non putrescit, inquit, cor, si levetur ad cœlum. Frumentum tuum si haberes in inferioribus, ne putresceret, levares illud a superiora. Frumento tuo quæris mutare locum, et cor permittis in terra putrescere; frumentum levares ad superiora, cor leva in cœlum. Et unde, inquis, possum? qui fumes, quæ machinæ, quæ scæla

opus sunt? gradus affectus est, iter tuum voluntas tua est, amando ascendis, et orando. S. AUG., in *Ps.* LXXXV.

UTILITAS. — Cum Carolus V, Imperator Provinciam Peruanam sibi reconciliatam cuperet, nobilem illum Gascam huic officio destinavit, eique complures chartas puras, et a scriptura vacuas, solo nomine suo notatas dedit, eo consilio, ut, quisquis privilegium aut munus peteret hoc ipso, si in charta illa scriptum fuisset, impetraret. Ita Christus fecit, dum dixit: Amen, amen dico vobis; si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. DREX, l. I, *Rhet. cœl.* c. II, § 4.

Lucianus fingit Deum Supremum Jovem ad ingentem cœli fenestram quotidie per unam horam sedere, suique copiam facere, dicturis patribus, aut aliquid rogaturis. Quisquis autem illam horam aucupari norit, omnia impetrare; extra illam nihil. Hinc quia paucis illa nota est, paucos etiam esse, qui impetrent quod petunt. DREX, c. v.

Constantius Hæreticus dicebat quondam de Religiosis Soc. Jesu: « Si Jesuitæ orationi dediti sint, et a mulieribus caveant, perseveraturos ne dubita. » H. S., p. II, l. II, n. 428.

Hebraei de cultu divino per sacrificia maxime ab ipsis peracto, decem miracula commemorant. 1. Quod, licet innumera hominum multitudo conflueret, nullus tamen unquam se exclusum sit quæstus. 2. Quod, cum starent, se compresserint: cum vero confessionem peccatorum facerent, et in terram procumbent, quatuor cubitorum spatium nemini sit negatum. 3. Quod, licet sacrificia sub diu fuerint peracta, numquam tamen ignis per pluvias fuerit extinetus. 4. Quod sacrificiorum fumus nunquam fuerit a vento impeditus, quo minus recta pergeret. 5. Quod ipsum etiam Sacerdotem summum eo die, quo sacrificandum erat, nullus unquam sinister eventus impedit. 6. Quod in panibus propositionis nullum unquam vitium fuerit deprehensum. 7. Quod nulla femina, quæ uterum ferret, carnis sanctificatæ nauseam senserit. 8. Quod caro sanctificata nunquam fetoris aliquid contraxerit. 9. Quod in eo, quo victimæ mactabantur loco, nullæ unquam muscæ fuerint conspectæ. 10. Quod nemo sacrificantium a serpente aut scorpione sit læsus. DREX, l. I, *Rhet. cœl.*, c. VII.

Cum Noe columbam ex arca misisset, ut

videret, num aquæ cessassent, illa primo die quidem vacua, sed octavo die cum ramo olivæ rediit; similis modo oratio e corde demissa, licet non statim prima vice exaudiat, suo tempore tamen fructum refert, ramumque divinæ misericordiam afferet. GRAN., l. III, *de Or.* c. XI.

Abbas Nilus apud Cassianum dixit, orationem esse campum floribus pulcherrimis referentem, juxta illud Scripturæ: « Ecce odor filii mei, sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus. COL., IX, c. VII.

Cardinalis Burbonius cum aliquando in Italiam proficisceretur, ad alpium pedem ob nives densissimas plures dies coactus est in hospitio subsistere cum omni, et quidem magno comitatu; aperta demum aliquantum via, abiturus voluit, ut erat, humanus Cardinalis hospiti loqui: id fiebat sub mensæ finem; cum ejus eleemosynarius, gratias de more Deo actis, consuetum etiam « Retribuere, » subjungeret. Interim Cardinalis economus seu moderator rogat diu quæsitus hospitem, quantum pro hospitio debeant. Ille negat, se quidquam accepturo idque tam constanter, ut cardinalis ratus, arcanam causam latere, hospitem ad se evocavit, qui varias initio, et officiosas causas prætexebat. Tandem cum urgeretur, sic ait: « Ante annos aliquos duo PP. Cappucini divertebant, qui altero mane discessuri conjugi meæ dixere, se pro sua symbola ei dare suum consuetum illud: « Retribuere dignare. » Et uxor quidem acquiescebat; ego vero superveniens, indignabundus eos insequor, et eis pallium aufero; vix domum attingi, cum in mania incido, instar furis acti, nulla mali remissione. Uxor conjectionis mali causam, equitem versus Patres illos expedit, rogatque, ut revertantur. Redunt, ac precibus suis me restitutum mihi: ego ad eorum pedes supplex accido, ac veniam errati postulo: voveoque nunquam accipere pretium ab illo hospite, qui in domo mea ad gratiarum actionem post mensam diceret: « Retribuere. » quod quia etiam Eleemosynarius iste fecit, voti teneor. Laudavit Cardinalis pietatem hospitis, et ejus liberalitatem acceptavit, quia ex voto erat: sed hospes nihil perdidit. Postquam enim numerum, et ætatem liberorum ejus intellexit, ac inter eos esse filium melioris ingenii ad studia nati, assignavit eidem quintana scuta annua, et usum fructum unius e suis beneficiis, ut in collegio aleretur, pol-

licitus insuper ei plura præstiturum, si se habilem ad ea faceret. GEN., xxvii, 27, *Rho.*, l. III, c. xi, n. 4.

DIGNITAS. — Diogenes Oratores ter homines vocabat, quia, sicut eum, qui nec facundus, nec humanus, nec doctus est, hominem esse negamus; ita is, qui disertus, affabilis, et doctus est, ter homo merito potest vocari. DREX., l. I, *Rhe. col.*, c. II, § 5.

Moyses ex divino colloquio in monte, cum tanta claritate, et vultus sui splendore descendit, ut filii Israel faciem ejus intueri non potuerint. EXOD., xxxvi, 21.

JUCUNDITAS. — Oratio manna quoddam est cælestis, inquit Rodriguez, quod unicuique saporem offert, et affert, quem vult, et desiderat. Queris humilitatem? dabit tibi saporem humilitatis, exercitium quodlibet de peccatis, de morte, de Christi cruciatibus, de Resurrectione, de beneficiis Dei. Queris, et desideras dolorem, et confusionem tui, patientiam, mansuetudinem? dabunt affatim ea, quæ diximus. P. I et., c. xiv.

Jonathas olim dicebat: Paululum gustavi mellis, et ecce morior: sed qui orationis dulcedinem fructumque degustat, rectius dicit: Paululum gustavi mellis in oratione, et ecce vivo, id est, totus resurgo, et alium hominem induo. L. II *Reg.*, xiv, 43.

Favus mellis, verba composita, inquit Salomon, dulcedo animæ, sanitas ossium, quæ autem verba magis composita existere possunt, quam quæ ab ipso Spiritu S. dictata, et ab Ecclesia approbata sunt? PROV., xvi, 24.

Orationi recte applicari potest illud Sira-cidis: Transite ad me omnes, qui concupiscitis me, et a generationibus meis adimplemini: Spiritus enim meus super mel dulcis, et hæreditas mea super mel, et favum. ECCL., xxiv, 26.

Oranti evenit, quod olim Ezechielii evenisse S. Scriptura testatur, dum volumen oblatum est, quod ubi comedit, factum est in ore ejus, sicut mel dulce; idem enim operantur doctrinæ cælestis in oratione hauste. EZECH., iii, 3.

MEDITATIO. — Gerson quæsitus, quodnam exercitium fructuosius censeret Religioso? optimum sibi videri meditationem respondit, eo quod fructus ex lectione aut oratione vocali haustus plerumque cum illis impressus, etiam in futurum serviat. PART. II, *Alph.*, xxxiv.

S. Scriptura dicit, splendorem, qui in facie

Moysis post congressum cum Deo apparuit, fuisse cornu similem, in quo robor animalium solet consistere, ad significandum egrediendum esse ab oratione cum robore, et fortitudine ad laborandum. EXOD., xxxiv, 29.

Eadem S. Scriptura testatur, Patriarcham Josephum fratres suos duriuscule quidem allocutum esse, jussisse tamen interea, æconomum saccos ipsorum frumento, et pecuniis impleri; ita facere solet et Deus, dum durius quidem in meditatione per ariditatem suos filios habet; sed tamen interea mentem cælestibus donis replet. GEN., xlvi, 22.

S. Theresia dixit, neminem quantumvis perditum meditationis exercitium, si a Deo ad id excitetur, negligere debere, eo quod ipsa omnium virtutum comparandarum principium, et omnium Christianorum vita in ea sit sita. IN ITINER. PERF., c. xviii.

#### AXIOMATA.

Qui nescit orare, adeat mare.

Qui nescit tribulari, nescit precari.

Non clamor, sed amor clangit in aure Dei.

Carius est multo precibus quodcumque paratur.

Quam quod opes, et quod copia larga parant. Multo constat, quod precibus emptum.

Preces Principum armatæ sunt: cogit rogando, qui rogat potentior.

Recte novit vivere, qui recte novit orare.

#### AUCTORES.

Alphonsus Rodriguez, p. I, tr. v.

Jacobus Alvarez, t. III.

Eusebius Nierembergicus, de *Adoratione in spiritu, et veritate.*

Theophilus Bernardinus, lib. VI otio.

Joannes Buseus, in *Viridario*, V. Oratio.

Jeremias Drexelius, in *Rhetorica cælesti.*

Item in *Rosis Marianis*, part. I, cap. ix.

Bernardinus Rosignolius, lib. IV de *Discipl.* a c. I usque ad xxxiii.

Nicolaus Lancizius, *opusc.* vi, vii et xi.

Ignatius Balsamon, tract. de *Modo recte orandi.*

Ludovicus Granatensis, de *Oratione et Meditatione*, lib. tres.

Petrus Sanchez, in *Regno Dei*, pag. 7, c. III.

Franciscus Arias, tom. II, tr. vii.

Josephus Mansi, *Biblioth. moral.*, tract. LVIII.

#### OTIUM.

##### QUOD ESSENTIAM.

DEFINITIO. — Est vocatio, seu cessatio ab utili negotio; hinc negotium, quod est oppositum otio, sic dictum est, quia negat otium; et penitus excludit.

DIVISIO. — Dividi potest in « Physicum et Morale » seu « Actuale et Interpretativum. » Illud est, quando aliquis necessaria corporis quiete accepta ab omni negotio corporali vel spirituali abstinet, ut faciebant illi, quos Christus in Evangelio allocutus est dicens: Quid hic statis tota die otiosi? MATT., xx, 6. Istud est, quando quis varia quidem negotia suscipit, sed inutilia et nociva; quod Stapletonus apta similitudine declarat, dum ait: Sicut pueri in luteis casulis erigendis occupati, aut in arundine equitantes, occupatissimi sibi videntur, cum tamen nostro iudicio non nisi nugæ tractent; sic omnes occupationes terrenæ, in quibus vel Dei gloria, vel salus proximi, vel nostra non queritur, etsi nobis feria, ac gravis videatur, Deo tamen et Angelis, et Sapienti cuique nugæ, et inane otium videntur. Hinc Christus dixit: Martha, Martha sollicita es et turbaris erga plurima: porro unum est necessarium. Maria optimam partem elegit, quam non auferetur ab ea; dum scilicet solum divinæ gloriæ, et salutis suæ negotium curandum suscepit. STAPLET., text. II, in *Dom. Sept.*

ACTUS. — Primus est, « somno plus temporis tribuere, » quam recta ratio postulet, idque temporis dumtaxat fallendi gratia.

Secundus est, « otiosis et inutilibus cogitationibus se occupare: » uti fecerunt illi, de quibus Salomon ait: Solummodo hoc inveni, quod fecerit Deus hominem rectum, et ipse se infinitis miscuerit quæstionibus. ECCL., vii, 30.

Tertius est, « otiosis et inutilibus verbis tempus terere: » de quibus Christus in Evangelio dixit: Dico autem vobis, quoniam omne verbum otiosum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die iudicii. MATT., xii, 36.

Quartus est, « operibus inutilibus se occupare: » quemadmodum faciunt illi, qui non nisi honores, divitias, ac voluptates inordinate sectantur, atque adeo experientur olim quod David dixit: Dormierunt somnum suum, et nihil invenerunt omnes viri divitiarum (et voluptatum ac honorum) in manibus suis. PSAL. lxxv, 6.

Quintus est, « tempus male agendo consumere: » ut omnes peccatores, maxime consuetudinarii faciunt. Unde recte concludit Seneca, totam fere hominum vitam otiosam esse, dum ait: Si volueris attendere, magna vitæ pars elabitur male agentibus, maxima nihil agentibus, tota aliud agentibus. SEN., Ep. I, ad Lucil.

##### EX S. SCRIPTURA.

QUALITAS. — Qui operatur terram suam, satiabitur panibus: qui autem sectatur otium, stultissimus est. PROV., xii, 11.

FUGA. — Non oderis laboriosa opera, et rusticationem creatam ab Altissimo. ECCL., vii, 16.

Non defrauderis a die bono, et particula boni domi non te prætereat. ECCL., xiv, 14.

Videte, fratres, quomodo caute ambuletis, non quasi insipientes, sed quasi sapientes, redimentes tempus, quoniam dies mali sunt. EPHES., v, 15.

Rogamus vos, fratres, ut operimini manibus vestris, sicut præcepimus vobis. I. THESS., iv, 11.

Denuntiavimus vobis, fratres, in nomine Domini nostri Jesu Christi, ut subtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinate, et non secundum traditionem, quam acceperunt a nobis. II THESS., iii, 7.

DAMNUM. — Desideria occidunt pigrum; noluerunt enim manus ejus quidquam operari: tota die concupiscit, et desiderat. ECCL., xl, 32.

Servo malevolus tortura, et compedes; mitte illum in operationem, nec vacet; multa enim malitiam docuit otiositas. ECCL., xxxv, 28.